

B
17
11


P. c. 212

Del. 7 - 3 am Fe 3520

O. O. Me.

Prot. C. VIII. 249.





ENARRATIO

PSALMI VI
GESIMI QVIN-
TI, SCRIPTA

A

NICOLAO HEMMINGIO.


PSAL. XXV.

*Vniuersæ viæ Domini misericordia et ve-
ritas custodientibus pactum eius & testimonia
eius.*



VVITTEBERGÆ IOHANN
Schuertelius excudebat.

ANNO M. D. LXVII.



NOBILI, PIO

AC SAPIENTI VL

RO MAGNO GOSCHE

DOMINO DE HORBT VETE

ri amico suo salutem & benedictionem

à communi Salvatore Domino no-

stro IESV CHRISTO

precatur

NICOLAUS HEM-

MINGIVS.



QVATVOR SVNT
genera hominū, qui
ex castris Sathanae
subinde eruptiones
in Ecclesiam Dei
faciunt, vt sunt Tyranni, Sophistae,
Hypocritae, & Epicurei. Aduersus
hos nisi muniamur spiritualibus ar-
mis, magnum profectò non tam for-
tunarum huius vitæ, quàm anima-
rum nostrarum & salutis periculum
erit metuendum. Nam tametsi non

A 2

VNO

EPISTOLA

uno modo aggrediuntur Ecclesiam,
 unum tamen scopum habent, ut Ec-
 clesia Dei oppressa ipsi dominantur,
 regnumq; Sathanae latè multumque
 propagetur atq; dilatetur.

Tyranni, quorum animi poten-
 tia, diuitijs successibusq; rerū fortu-
 natis luxuriant, vel superbè insul-
 tant Ecclesiae Dei exprobrantes ip-
 si crucis ignominiam, vel aperta vi
 grassantes in Ecclesiam, multorum
 sanctorum sanguine madent.

Sophistae & sycophantae sapien-
 tia huius mundi tumidi doctrinae Ec-
 clesiae astute insidiantur, quo ea vel
 deprauata vel abolita opprimatur Ec-
 clesia, cuius vita verbum Dei exi-
 stit. Hi arte quadam planè Satha-
 nica fundamentum Ecclesiae occultis
 cuniculis subruere moliuntur, nunc
 hunc

DEDICATORIA.

hunc articulum fidei nostræ vel cor-
rumpentes, vel omnino demolientes,
nunc illum. & quò purior fuerit do-
ctrina, eò plures Sathan emittit Sy-
cophantas & Sophistas, vt limpidis-
simos fontes Israël suo cæno coin-
quinet.

Hypocritæ vero cultui Eccle-
siæ moliuntur insidias. Hi non ho-
stes Ecclesiæ, sed ciues & amici no-
minari volunt. quam ob causam in-
cautos citius obruunt quàm aperti
hostes. Verissimè enim dicitur: Tu-
ta frequensq; via est per amici fallere
nomen. Nam cùm Hypocritæ alie-
nam sustinent personam sanctitatis
larua tectam, ouile Christi subruunt,
& tanquàm lupi rapaces oues Christi
despergunt & dilaniant.

Epicurei non sunt vnius ge-
neris. Etsi omnes voluptatem tan-

EPISTOLA

quàm finem bonorū sectantur. Sunt enim quidam manifestè improbi, quibus summum bonum iudicatur omnibus flagitiorum generibus deliciari, & cum nullam famæ aut nominis iacturam pertimescunt, tanquàm porci volutabro omnium scelerum se sponte inuoluunt. Sunt alij quibus urbana quedam honestas proposita est, hi summam voluptatem esse dicunt, nomen & gloriam apud homines obtinere, nec volunt videri à deo, sed pij & religiosi, audiunt verbum, vtuntur Sacramentis, & multa faciunt præclarè. Verum in hos quadrat versiculus ille quem in Zenocratem dixisse Aristotelē Athenæus refert: *χῆρες μὲν δ' ἀγαθὰ ἔχουσιν ἔχαιμιάσματα.* Tria enim sub illa externa larua ciuilitatis graui peccata fouent: voluptates suas præferunt voluntati Dei,

Dei,

DEDICATORIA.

Dei, securè viuunt, sæpe magistri sui
 Vestigijs insistentes prophanas voces
 de religione cum voluptate audiunt :
 quæ res multos infirmos euertit &
 alienat à Christo. Aduersus hæc
 quatuor genera hostium Ecclesiæ pi-
 os armatos esse oportet : idq̃ non car-
 nalibus, sed spiritualibus armis. Sed
 quæ sunt illa spiritualia arma? Hæc
 monstrant viri consiliarij Ecclesiæ.
 Quinam sunt illi viri consiliarij?
 Oracula Dei. ita enim David regius
 ille Prophetæ inquit: Testimonia tua
 gaudium meum, & viri consiliarij
 mei. Dicuntur autem oracula Dei
 sanctorum consiliarij, cum quia mon-
 strant sanctis magnum illum consili-
 arium filium Dei, qui dat menti bo-
 na consilia in rebus dubijs, & regit
 eas suo spiritu, tum quia testantur de
 voluntate Dei erga Ecclesiam: cu-



ius refugium & propugnator et saluator est. Horum consiliariorum consilium in genere hoc est, vt fide prius purificatis cordibus nostris, opponamus omnibus hostibus nostris nomen Domini, hoc est, inuocationem Dei ex viua fide & constanti manantem. Nam vt Salomon ait: Turris fortissima nomen Domini, ad hanc confugiet iustus & saluabitur: Ita Iohannes testatur: Hæc est victoria quæ vincit mundum fides vestra. Huc pertinet descriptio armaturæ Sanctorum Ephe. 6. vbi Paulus hortatur sanctos, vt totam armaturã Dei assumant, quo possint resistere tempore aduerso, & omnibus peractis stare. & quia quedam est analogia rerum corporalium & spiritualium, vult nos exemplo militum mundi munitos esse, & nobis se-
ptem

DEDICATORIA.

ptem genera armorum commendat
 hisce verbis: State igitur lumbis cir-
 cumcinctis veritate, & induiti thora-
 ce iusticiæ, calceatis pedibus præpa-
 ratione Euangelij pacis, adhæc as-
 sumpto scuto fidei, quo possitis omnia
 iacula mali illius ignita extinguere,
 galeamq; salutarem accipite, & gla-
 dium spiritualem, hoc est, verbum
 Dei, omni obsecratione & depreca-
 tione orantes per spiritum. Hæc pul-
 cherrima explicatio armaturæ Dei
 est, cuius vsum ex collatione intelli-
 gimus hoc modo: Vt lumbi munda-
 ni militis, in quibus potissimè corpo-
 ris vires sunt, cingulo firmantur ne
 inter pugnandum miles labatur: ita
 animus veritate Dei firmandus est,
 ne Diabolus nos dubitantes ac hæsi-
 tantes facilius prosternat, & truci-
 det. Vt militis mundani pectus mu-



EPISTOLA

nit thorax, ita innocentia vitæ seu iusticia hominis animum conseruat, ne tela Diaboli cor penetrent, ac religionem inficiant suo veneno. Vt pedes militis mundani calceis seu tibialibus muniuntur, vt inoffenso gradu in hostem feratur: ita Christiani militis est se præparare Euangelio pacis, quo tutus esse possit, cum re-
 Etâ in hostem fertur. Vt totum corpus militis mundani obtentu scuti tutum redditur à telis aduersarij: ita fide viua & indubitata animus Christiani vndequaq; custoditur & protegatur. Seu vt scutum aduersarij telis obijcitur: sic vera fides omni tentationum generi opponitur. Vt caput mundani militis galea munitum in tuto est: ita spes promissæ salutis omni insultui Diaboli est opponenda. Vt miles mundanus ho-
 stem

DEDICATORIA.

Stem in se irruentem repellit gladio :
ita Christianus verbo Dei Sathanam
adorientem repellere debet. Ut
miles mundanus in periculofiori pugna
in castra imperatoris sui se recipit :
ita Christianus ad orationem confugit,
quæ ut turris fortiffima opponenda
est potestati Diaboli. Hoc modo
Paulus vult Christianos imitari milites
mundanos aduersus omnia genera
hostium quos habet Ecclesia, quorum
summus dux et imperator est Sathanas.

Cæterum quia non satis est scire
præcepta rei militaris, & nouisse
quibus armis opus fit, nisi accedat
vsus & experientia, quæ in imitati-
one sita est, pernecessarium est ut
Christianus miles proponat sibi eorum
exempla, quorum virtus in hoc
militiæ genere est laudata. Etsi au-
tem

EPISTOLA

tem historia Ecclesiae plurima habet exempla, & Apostolus nonnulla Heb. II. recitat: tamen vnum Dauidem ideò antefero reliquis, quia nō solum eius narrantur praelia & victoria, verumetiam quia nobis vsum armorum spiritualium aduersus omne genus hostium explicat, & verbis & exemplo suo commendat: quem admodum totus liber Psalmorum testis est. Nam hic liber non solum triumphos Dauidis aduersus omnis generis hostes narrat, verumetiam spiritualia Dauidis stratagemata exponit & alijs imitanda proponit. Age paucis videamus quomodo profligat sanctus Athleta David quatuor illa genera hostium quæ proposuimus.

Aduersus seuitiam Tyrannorum opponit fidem, & se consolatur spe

DEDICATORIA.

spe futuræ liberationis, & tragico exitu hostium. Deus destruet te, inquit, in æternum, conteret te, & euellet te de tabernaculo, & radicem tuam de terra uiuentium. Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt. ecce homo qui non posuit Deum fortitudinem suam, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in iniquitate sua. Ego autem sicut florens in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum et in seculum seculi: Psal. 52. Hoc planè diuinum est stratagemata. Tyrannus fretus potentia & diuitijs adoritur Dauidem, Dauid se aduersus ipsum armat spe salutis & interitu superbi hostis, & superior euadit.

Sophistis opponit Dauid veritatem promissionum diuinarum, quem
admodum

EPISTOLA

admodum Psal. 119. testatur, & alij multi.

Hypocritas & Sycophantas contemnit, & se verbo Dei aduersus eos regi petit, simul imprecans illis iustam poenam, vt si non conuertantur pereant.

Epicureis quibus insipientiam tribuit, opponit verbum & promissionem Dei, quæ fallere non potest. Breuiter aduersus omnes hostes verbo, fide, spe, oratione pugnat, id quod in Psalmorum libro clarissimè videre licet, Qui liber propterea gratior debet omnibus pijs esse, quia et regulas militiæ vitæq; Christianæ continet, & exempla in quibus regulæ tanquàm in tabula pinguntur, habet. Quicumq; igitur peritiam rei militaris Christianæ assequi cupit, hunc librum legat, hunc meditetur, hunc
verset

DEDICATORIA.

Verset nocturna diurnaq; manu, seq; in
 in omni periculorum spiritualium &
 corporalium genere ad Davidis ex-
 emplum componat. Hoc enim qui fe-
 cerit, mirabilem fructum sui laboris
 reportabit, & Sathana victo in ex-
 tremo die lætus cum Davide trium-
 phabit. Verum quia Psalmi nonnul-
 li propter phrasas Hebraicas &
 Propheticas videntur obscuriores,
 laudanda est industria eorum, qui
 enarrationes in Psalmos scripserunt,
 & obscuriora dicta collatione clariorum
 illustrarunt. Et tametsi satis
 superq; in Psalmos Davidicos scri-
 ptum videri possit: tamen quia De-
 us vult vt singuli pro donis collatis
 ornemus ministerium Euangelij, &
 edamus testimonia nostræ fidei, &
 approbemus Ecclesiæ pium consen-
 sum, sumpsi mihi enarrandum Psalmum

munus

EPISTOLA

mum vigesimum quintū, quem Da-
 uid senex composuit, & tradidit
 cantoribus suis canendum in templo.
 Et ut posset à vulgo facilius percipi,
 iuxta ordinem literarum alphabeti
 Hebraici Psalmus hic est composi-
 tus. qui tametsi plurimis saluberris
 sententijs est refertus: tamen
 duo potissimum sunt in eo spectanda:
 exaggeratio peccati, & amplitudo
 misericordiae Dei. Vt enim exagger-
 ratio peccati facit vt in nos ipsos des-
 cendamus, ac nos agnoscamus reos
 coram Deo: ita amplitudo immense
 misericordiae Dei nos erigit, & con-
 solatur, ne peccatorum mole pressi
 frangamur desperatione, Sed cum
 Dauide leuemus animas nostras ad
 Dominum, petamus nobis ignosci
 peccata, cupiamus nos in posterum
 diuinitus in vijs Domini gubernari

DEDICATORIA.

Et conseruari, retineamus fidem Et
bonam conscientiam, semper cogi-
tantes hanc dulcissimam sententiam:
Omnes qui te expectant non confun-
dentur. Confundentur præuarican-
tes sine causa, hoc est, omnes Tyran-
ni, Sycophantæ, Hypocritæ Et Epi-
curei, quantumuis videantur fœlices
esse in hoc mundo, tamen in extremo
examine confundentur, quando filius
Dei iudex iustus absq; personarum
respectu iudicabit orbem. tunc enim
apparebit gloria Ecclesiæ Christi,
quæ in hoc mundo contempta Et vi-
lis censetur: tunc nimis sera pœniten-
tie agnoscent suam stultitiam Eccle-
siæ hostes, Et cum donari videbunt
credentes cœlesti gloria Et immorta-
litate, ingemescentes dicent de ijs
quos antea contempserunt: Hi sunt
(vt Sapient. 5. scribitur) quos ha-
B buimus

E P I S T O L A

buimus aliquando in derisum, & in
 similitudinem improperij, nos stulti
 vitam illorum aestimabamus insani-
 am, et finem illorum sine honore. Ec-
 ce quomodo computati sunt inter fili-
 os Dei & inter sanctos. Ergo erra-
 uimus à via veritatis, & iusticiæ lu-
 men non luxit nobis, & sol intelli-
 gentiæ non est ortus nobis. Lassati
 sumus in via iniquitatis & perditio-
 nis, & ambulabamus deserta inuia,
 viam autem Domini ignorauimus.
 Quid nobis profuit superbia? aut di-
 uitiarum iactantia quid contulit no-
 bis? transierunt omnia illa tanquam
 umbra &c. Hæc confessio impio-
 rum erit in extremo die, quando co-
 ram tribunali Christi pudefient.

Porrò enarrationem in hunc
 vigesimum quintum Psalmum sub
 tuo

DEDICATORIA

tuo nomine, vir optime, in lucem
 prodire volui, idq̄ potissimum tribus
 de causis: quarum prima est, vt te
 qui pro tua singulari pietate delecta-
 ris multum Psalmorum recitatione,
 magis incitem, & quasi sponte cur-
 renti calcar addam. Etsi autem om-
 ni etati lectio Psalmorum est utilis-
 sima: tamen senibus gratior esse de-
 bet propter maiorem certaminum
 spiritualium experientiam, & con-
 solationes vberiores, quas hinc hau-
 rire possunt senes. Secunda causa est,
 vt alij tuo exemplo moueantur ad
 nostram enarrationem legendam:
 quam spero ipsis vtilem fore, modo
 pium pectus ad lectionem adferant.
 Tertia causa est, vt ego saltem ali-
 quod indicium animi mei erga te de-
 clarem hoc scripto: qui mihi & sem-
 per pie fauisti, & honeste de me me-

EPIST. DEDICAT.

isq̄ laboribus iudicasti. Rogo igitur
vt hanc qualemcumq̄ significationem
animi mei erga te grata manu susci-
pias. Ego vicissim, quod par est,
semper te tuosq̄ plurimi faciam. Va-
le ex Musæo nostro, vnà cum vxore
tua Catharina Blomme fœmina nobi-
li & honesta, & liberis. Hafniae,
primo Maij Anno 1566.



Psalmus

PSALMVS

XXV.

- 1 **A**D te Domine leuavi animam
meam.
- 2 Deus meus in te speraui, non confundar, nec letabuntur inimici mei super me.
- 3 Etiam omnes expectantes te non erubescunt, erubescunt prauari-
cantes temerè.
- 4 Vias tuas Domine demonstra mihi, semitas tuas doce me.
- 5 Dirige me in veritate tua, & doce me. quoniam tu es Deus salutis meæ, te expectaui tota die.
- 6 Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum, quoniam à seculo sunt.
- 7 Delicta iuuentutis meæ, et transgressiones meas ne memineris, secundum misericordiam tuam
B 3 memento

PSALMVS XXV.

memento mei tu propter bonitatem tuam Domine.

- 8 Bonus, & rectus Dominus. propterea docebit peccatores in via.
- 9 Diriget afflictos in iudicio, docebit afflictos vias suas.
- 10 Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, custodientibus testamentum eius, & testimonia eius.
- 11 Propter nomen tuum Domine propiciaberis peccato meo, quoniam multum est.
- 12 Quis est homo qui timet Dominum? docebit eum viam quam eligat.
- 13 Anima eius in bonis commorabitur, & semen eius hæreditabit terram.
- 14 Secretum Domini timentibus
eum.

PSALMVS XXV.

eum, & testamentum suum manifestabit illis.

15 Oculi mei semper ad Iehouah. quia ipse educet de laqueo pedes meos.

16 Respice ad me & miserere mei, quoniam vnicus & afflictus sum ego.

17 Afflictiones cordis mei auctæ sunt: ab angustijs meis educ me.

18 Vide afflictionem meam & laborem meum, & parce omnibus peccatis meis.

19 Vide inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.

20 Custodi animam meam & libera me, ne pudefiam, quoniam speraui in te.

21 Integritas & æquitas conseruabunt me, quoniam expectaui te.

ENARRATIO

22 Redime Deus Israëlem, ex omnibus tribulationibus suis.

ARGUMENTVM

PSALMI XXV.

Psalmus hic magna ex parte est precatorius. Precatur enim David Dominum, ut vias suas se doceat, ut peccatis ignoscat, ut à persecutibus se liberet, utq; totum Israëlem, hoc est, omnes credentes tandem redimat.

DISPOSITIO PSAL-

M I XXV.

Septem partes sunt huius vicesimi quinti Psalmi. Prima est exordium aptissimum. nam ut verè precantium affectus describit, ostenditq; quo nitantur fundamento inter precandum fideles: Ita quoq; quorum preces non exaudiantur indicat, & hoc facit in tribus primis versibus.

Secunda, precatio est, qua se & à Deo regi doceriq; precatur, & petit veniam peccatorum præcipuè iuventutis, idq; 4. 5. 6. 7. versibus.

Tertia, est prædicatio bonitatis, & misericordiae Dei: qua excitatur, & alitur fiducia
inter

PSALMI XXV.

inter precandum, versibus 8. 9. & 10.

Quarta, est repetitio petitionis veniæ: qua precantis affectus ardentior redditur, versu 11.

Quinta, descriptio est fœlicitatis eorum, qui Deum verè timent: hoc est, vera religione colunt: quæ sanè descriptio meritò excitabit homines ad pietatis studium, versibus 12.

13. 14.

Sexta, petitio est liberationis à præsentibus periculis, in quibus versabatur persequente se Saule, versibus 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

Septima, est generalis precatio pro redemptione totius Israelis, id est, Ecclesiæ, versu 22.

EXEGETIS

PSALMI XXV.

CUM OBSERVATIONE

doctrinarum.

1 AD te Domine leuavi animam meam.

2 Deus meus in te speraui, non confundar

B. 5

ENARRATIO

fundar, nec letabuntur inimici
mei super me.

3 Etiam omnes expectantes te non
erubescunt, erubescunt praeua-
ricantes temerè.

Prima Psalmi pars est, videlicet exordium,
quod sumitur à professione fidei propter
promissionem, quam fides inter precandum in-
tuetur. Nam vt sine promissione nihil habet
oratio quo nitatur, ita sine fide promissio, ho-
minis culpa, fit irrita.

Iam altius verba perpendamus, quo meli-
us exemplo Davidis ad rectè inuocandum eru-
diamur.

Primum dirigit David orationem suam
ad ipsum Deum, cogitans haud dubiè manda-
tum Dei, & promissionem: videlicet quòd
Deus propter promissum Messiam exaudire
velit. Nam vt mandato obligamur ad cultum
inuocationis, ita promissione erigimur inter
precandum, & fiduciam concipimus de impe-
trandis ijs, quæ nobis sunt salutaria. Nos pro-
inde Davidis exemplo non sanctos, non angelos,
aut vllam creaturam, sed Deum ipsum inuoca-
mus, freti mandato & promissione: & opponamus

PSALMI XXV.

mus infirmitati nostræ, & indignitati poten-
 riam & dignitatem Domini nostri Iesu Chri-
 sti. Deinde cùm dicit, Animam meam leuabo,
 significat veram inuocationem non esse clamo-
 rem vocis, sed cordis gemitum, et eleuationem
 animæ ad Deum ipsum. Proinde anima homi-
 nis precantis, non debet esse in his rebus im-
 mersa, non debet terrenis rebus niti, sed attolli
 debet supra omnes creaturas, & ad ipsum De-
 um leuari. Non enim satis est leuare manus,
 sed oportet eum manibus cor ipsum leuare, vt
 oratio fiat in veritate, & non in hypocrisi, Vn-
 de Ieremias Threnorum 3: Leuemus corda
 nostra cum manibus nostris ad Deum in cælos.
 Psal. 145: Prope est Dominus omnibus inuo-
 cantibus eum in veritate.

Sed quomodo anima hominis leuatur ad
 Deum? Duabus veluti alis: quarum vna est
 cogitatio misericordie Dei mandantis cultum
 inuocationis, promittentis se exauditurum in-
 uocantes, & requirentis gratitudinem, iuxta
 Psal. 50: Inuoca me in die angustie, eruam te,
 & honorificabis me. Hic præter mandatum,
 & promissionem meminit David gratitudinis.
 Ioan. 15: Si manseritis in me, & verba mea in
 vobis manserint, quodcunq; volueritis petetis,
 & fiet vobis. Non ergo sufficit intueri man-
 datum

ENARRATIO

datum & promissionem, nisi simul adferas pi-
um propositum. Nam qui conscientia & cogi-
tatione peccandi orat, frustra verba fundit.
Quare in Psalmo 66. dicitur: Iniquitatem si
aspexissem corde meo, non exaudisset Dominus.
1. Iohan. 3: Si cor nostrum non condemnet
nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid
petierimus accipiemus ab eo. Et Iacob. 4. Pe-
titis & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt
in voluptates vestras insumatis. Obtempere-
mus igitur Paulo, qui in hunc modum 2. Ti-
mot. 2. ait: Decedat ab iniquitate omnis qui
inuocat nomen Domini.

Altera ala est fiducia mediatoris Domi-
ni nostri IESU CHRISTI, qui hanc dul-
cissimam promissionem apud suos deposuit dis-
cipulos: Quicquid petieritis patrem in nomine
meo, dabit vobis. Hæc promissio dulcissima
est: in qua duo potissimum sunt obseruanda,
videlicet signum vniuersale (Quicquid) &
inuationis modus (in nomine meo).

Vniuersalis promissio restringenda est
ad certum genus, sicuti eam interpretatur Io-
han. 1. Iohan. 5. cùm inquit: Quicquid peti-
erimus secundum voluntatem eius, audit nos.
nequaquam enim decet probos filios aliquid à
patre suo petere, quod ipsius aduersatur pater-

PSALMI XXV.

nae voluntati. Vt autem aduersatur voluntati paternae, si filius scorpionem aut serpentem petat, id est, rem noxiam quouis modo, & contra voluntati paternae pergratum est si filius res sibi utiles & salutare petat: Ita se res habet cum patre nostro caelesti. Si enim quid petamus contra gloriam patris, & contra salutem nostram, non exaudit nos, sed melius nobis prospicit, dat panem non lapidem, dat ouum & non scorpionem. Breuiter, quicquid petimus quod vergit in ipsius gloriam, & nostram salutem, hoc verè impetramus per mediatorem nostrum Iesum Christum. Etsi exauditionis ratio non semper expectationi nostrae, & stulto carnis iudicio respondet.

Inuocationis modus additur in promissione, cum inquit: in nomine meo, id est, in agnitione & fiducia mei. Agnitio haec consistit in noticia naturarum diuinæ & humanae in Christo, videlicet quod & verus Deus sit & verus homo, in personae vnitae, & in redemptionis officio, hoc est, sacerdotio aeterno. Fiducia ex agnitione dependet, videlicet cum homo verè statuit hunc Christum Deum & hominem aeternum sacerdotem suum redemptorem esse, et interpellatorem apud patrem, & omnino talem sibi fore, qualis in Euangelio nominatur, id est,

est,

ENARRATIO

est, prædicatur. Nomen enim relationem habet ad verbum, quod de Christo prædicatur. Hic inuocationis modus diligenter obseruandus est. Nam & doctrinam multiplicem, & admonitiones salutare, & consolationes efficaciæ continet.

Doctrina est quadruplex. Primum enim docet excludendam esse à nostris precibus dignitatem nostram, quæ omnino nulla est. Secundò, seponendam esse hypocrisin, qua omnis actio inficitur. Tertio, deponendam esse prophanam & Ethnicam gloriationem, & iactationem meritorum, qualis fuit Menelai, exprobrantis Ioui hecatombas quas illi obtulit. Quarto, discrimen inter Christianam Orationem et omnium aliarum sectarum. Nam Christiana oratio nititur fiducia mediatoris, quem prophani homines non agnoscunt.

Monitiones sunt quòd admoneat nos hic precandi modus nostræ cæcitatæ. Nam cum petendum sit in nomine Christi, non potest esse dubium quin maxima sint illa, quæ peti necesse sit. Oculos ergò aperire oportet, & diligenter circumspicere quæ publicè, quæ priuatim nobis molesta sint, quæ interna, quæ externa, quæ corporalia & quæ spiritualia desiderantur, ut in omnibus his ad clementissimum patrem per mediato-

mediatorem nostrum Iesum Christum confugi-
amus.

Consolationes sunt quòd hic modus pre-
candi consoletur inuocantes aduersus duo inuo-
cationis maxima impedimenta, diffidentiam
carnalem, & propriam indignitatem. Nam
nisi fiducia mediatoris inter precandum nitere-
mur, carnalis nostra diffidentia, quam auget
memoria multiplicium peccatorum, nos à pre-
cando absterreret: & facilè omnes succumbe-
remus prostrati cogitatione nostræ indignita-
tis: qui per nos indigni sumus, vt prodeamus
in conspectum Dei, sed fiducia mediatoris his
malis medetur. Nam & carnalem diffidenti-
am vincit, & dignitatem non suam sed Christi
iactat. huc illud Pauli pertinet ad Rom. 5:
Per fidem pacem habemus cum Deo per domi-
num nostrum Iesum Christum, per quem etiam
habemus accessum per fidem in gratiam hanc
in qua stamus.

Cum his optimè congruit responsum Do-
mini datum Samaritanæ Iohan. 4. ita enim
ait: Venit hora, & nunc est, quando viri ado-
ratores adorabunt patrem in spiritu & veri-
tate. Nam pater tales quærit, qui honorant
ipsum. Samaritana mulier putabat ex loci di-
gnitate pendere orationis efficaciam. Dicit
enim

S N A R R A T I O

enim: patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quòd Ierosolymis est locus ubi oporteat orare. Ab hac opinione reuocat Christus mulierem, & proponit ei verum adorandi modum, videlicet quòd oporteat adorare patrem (ad quem nemini patet accessus nisi per filium) in spiritu & veritate. In spiritu quidem, hoc est, fiducia viua in Deum, quæ fiducia est motus à Spiritu sancto excitatus, & nititur mediatoris meritis. In veritate verò, hoc est, sincerè & sine hypocrisi, vt nò aliud verba sonent quàm cor intus dicet.

Ex his liquidò constare existimo, quàm necessariae sint istæ duæ alæ: cogitatio mandantis & promittentis Dei cum conditione gratitudinis referendæ benefactori: & fiducia mediatoris: quibus anima nostra ad Deum leuanda est, vt oratio nostra nubes penetret, Deo placeat, & exaudiatur.

Haëtenus de primo versu, sequitur secundus.

Deus meus in te speraui, non confundar, nec lætabuntur inimici mei super me.

Cùm dicit Psalmista, Deus meus, fiducia singularis vox est, quæ saepe Paulo in
vsi

PSALMI XXV.

usu fuit. Tametsi autem vnus est Deus Iudæ-
 orum & Gentium, adeoq; totius mundi: tamen
 peculiariter Deus dicitur Deus Ecclesiæ, pro-
 pter peculiarem promissionem, in qua Ecclesia
 qui viuum membrum existit, potest sibi ap-
 plicare quod est commune toti corpori. Neq;
 tamen alijs adimit hoc pacto, dum sibi vendi-
 cat quod commune est. nam per fidem cuiuslibet
 proprium ita efficitur, vt alijs nihil detraha-
 tur. Quare vt totius Ecclesiæ vox est, Deus
 noster, & pater noster, Ita singulis pijs rectè
 ex corde dicere licet, Deus meus & pater me-
 us. Hinc est quòd Deus dicatur Deus Ab-
 raham, Isaac, Iacob & c. Hæc autem vox non
 in ore nascitur, sed ex intimo cordis affectu, &
 plena in Deum fiducia erumpit, vnde sequi-
 tur, In te speraui, hoc est, in tota hac causa
 aduersus aduersarium meum Saulem non con-
 fugi ad humana præsidia, sed tua promissione
 & bonitate fretus hætenus fui tutus. quare
 adhuc spem habeo, vt sub tua protectione per-
 sistam incolumis. atq; hoc est quod subiungit:
 Non confundar, nec letabuntur ini-
 mici mei super me. In verbo confunden-
 di metalepsis est. Consequens enim pro antece-
 dente ponitur. Siquidem confundi dicuntur
 C qui

ENARRATIO

qui sua spe frustrati alijs sunt ridiculo, unde fit ut iure afficiantur pudore, suisq; inimicis præbeant insultandi occasionem. Sensus ergo est: spe mea minimè frustrabor, cum tu sis Deus meus, in quem, ut semper, in hac causa propter promissionem mihi factam, speravi: ita & nunc spero. Obseruetur igitur hoc Enthymema. Deus meus in te spero, ergo non confundar. ergo non lætabuntur inimici mei super me, tanquam à Deo abiectus essem. Paulus videtur ex hoc Enthymemate conclusisse illud memorabile Axioma ad Rom. 5: Spes non confundit. rectè enim colligitur: Ego spero & non confundar, ergo spes mea non confundetur.

Verum hinc discernendum est inter res de quibus extant promissiones vniuersales, vel personales, & res de quibus non extant promissiones in specie, quales sunt potissimum quæ ad hanc vitam pertinent, sine singularibus promissionibus. in illis firma est conclusio in specie, in his autem in genere tantum.

Cum Iob dicit, Etiam si occiderit me, in ipsum sperabo, ad vniuersalem promissionem respicit de salute animæ. Item cum ait: Scio quod redemptor meus viuit, nihil omninò aliud vult dicere, quàm quod hinc David dicit:
Deus

PSALMI XXV.

Deus meus in te spero, non confundar. quasi diceret: etsi autem nunc in corpore crucior, contemnor ab vxore, & alijs amicis, iaceo hucerosus, & scateo vermibus, priuatus sum possessionibus & liberis: tamen quia in te spero, non confundar. Promisisti enim omnibus timentibus te salutem, quam exspecto. mentiri enim non potes. Tres viri in Chaldea, iussi adorare statuam Regis, hac freti fiducia ardentem caminum contemnunt. Statuunt enim Deum veracem esse, qui immarcescibilem post hanc vitam promiserat suis cultoribus coronam, ac si dicerent in caminum conijciendi: Deus noster in te sperauimus, non confundemur. nam in extremo saltem die, si hic non placuerit tibi nos eripere de periculo, apparebit quod nostra fiducia non fuerit vana: quando Tyranni isti qui hic nos conantur perdere, tradentur Diaboli æternum cruciandi. Exempla huiusmodi fiduciæ plurima suppeditat Ecclesiastica historia, cuius lectio hunc præcipuum fructum adfert, quod non solum exempla iudicij et misericordiæ Dei nobis ponit ob oculos, verumetiam fortitudinis, patientiæ sub cruce, confessionis, & fiduciæ in Deum habeat testimonia. De quo fructu exemplorum Syvacides in hanc sententiã loquitur capite 2: Re-

C 2

spicit



ENARRATIO

Spicite ait in prisca retrò secula, & considerate quis suam in Domino fixit fiduciam & pudore affectus est? Quis in timore eius permansit & fuit derelictus? Quis eum inuocauit & fuit ab eo spretus? Nam misericors & clemens est Dominus, summæq; tum misericordiæ tum patientiæ, qui et peccata remittit, & salutem adfert in afflictionis tempore.

Abrahamo & eius posteritati promittitur terra Canaan, qua promissione fretus Abraham egreditur de terra Chaldea, & postea multis annis vagatur sine certis sedibus, interdum famem, interdum alia experitur incommoda, idq; multis annis, nihilominus tamen firmiter ex promissionis fide concludit suum semen occupaturum terram Canaan. Promittitur illi semen in quo benedicerentur omnes gentes, at ipse tandem & se effectum et uxorem sterilem experitur, credidit tamen promittenti Deo, vnde dictum est de ipso: Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iusticiam. Porro cum iam illi natus esset filius Isaac, de quo erant factæ promissiones, iubetur ipsum mactare, obtemperat mandato, parat rogam, ligat filium, stringit gladium in filium, sed intus in corde retinet hoc Enthymema: Ego te Deus expecto, ergò non confundar.

dar. Promisisti mihi semen in hoc Isaac, igitur non frustrabor mea spe. Nam priusquam tuum verbum fallat, mactatus filius prodibit viuis de igni, vt tua stet firma promissio.

Simili fiducia hic David concludit. Electus erat à Deo in successorem Saulis, inunctus erat à Propheta ex mandato Dei in regem, sed quid fit? Sæpe de vita periclitatur in aula Saulis, cogitur ad prophanas gentes se recipere, ab amicis sæpe proditur, sed tamen in his angustijs & grauissimis tentationibus concludit, Deus meus in te spero, ergò non confundar, atq; ita ex fide promissionum vniuersalium & personalium, res promissa in specie concluditur firma fiducia, quæ non fallit sperantem.

Verùm quantum ad res huius vitæ attinet, de quibus non extant promissiones in specie, fides concludit genus, & non speciem. David cum eiectus esset de regno à filio Absolone, cum Sadoch sacerdote loquens ait: Reduc arcam Dei in ciuitatem, si forte inueniam gratiam in oculis Domini, restituat me, faciatq; me videre eam, & habitaculum eius. Et, si sic dixerit, non places mihi, ego paratus sum, faciat mihi quod bonum est in oculis suis. Quia hic David non habuit promissionem reductio-

S N A R R A T I O

nis in regnum, quo erat exutus propria culpa, fiduciam habet non in specie, ut restituatur regiae dignitati, sed in genere, ut Deus se non deserat, sed clementer tueatur. Est enim fiducia vox, : faciat mihi quod bonum est in oculis suis. Sciuit enim Deum promississe resipiscentibus veniam, ex cuius promissionis fide hac vox erumpebat.

Simili modo & nos in rebus spectantibus ad hanc vitam precantes concludamus ex promissione fauoris Dei erga poenitentes, quod si non eo modo quo cupimus nos exaudiat, certissimè tamen faciet quod nobis bonum & commodum erit suo iudicio, qui non potest sperantes in se derelinquere, fiducia in illum nunquam quenquam fefellit.

Porro ne quis putet singulare priuilegium paucorum esse tali fiducia consistere, sequitur in tertio versu fundamentum quo hac fiducia nititur. Ita enim ait: Etiam omnes expectantes te non erubescunt. Dixit in superiori versu: Ego speravi, ergò non confundar. iam huius fiduciae causam reddit, transferens hypothesin ad thesin, tanquam ad consultationem, ex qua causae definitio dependet. Esaie 49. Ipse Deus reuocat Ecclesiam à cogitationibus mundanis ad hoc fundamentum seu consultationem.

tationem. Ita enim ait : Et erunt reges nutrices tui, & reginæ eorum nutrices tuæ. Proni in terram incuruabunt sese tibi, & puluerem pedum tuorum lingent. & scies quòd ego Iehoua, quia non pudefient expectantes me. Nota distributionis Omnis, qua utitur Psalmista, non solùm ad omnes status, & quasuis hominum conditiones, sed ad omnia indiuidua in humana natura referenda est. hoc igitur fundamentum seu principium omnibus pijs in conspectu esse debet, quod est vt dixi, veluti consultatio quædam, ad quam fluctuantis animus confugiet, vt non succumbat tentationum varietate, sed inuictus potius persistat aduersus omnes tentationes quibus infestatur, & ad diffidentiam sollicitatur.

Si caro aduersus te surrexerit, examina cor tuum, ac vide an vlla scintilla fidei ibi latitet, si senseris fidei scintillam, implora Spiritum Dei quò magis excitetur, atq; ita excitata fide aduersus carnem ex hac consultatione insurgito : Nulli expectantes Deum erubescant, (hoc est, apprehendentes promissiones Dei vera fide, et expectantes salutem vera fide, non frustrabuntur sua spe) Ergò expecto Deum, & certissimè statuo ipsius promissiones ratas fore, non igitur confundar.

ENARRATIO

Ad eundem modum in alijs tentationibus faciendum est, & præcipuè in agone mortis. Tunc enim omnium maximè praxis huius consultationis erit necessaria.

Cæterum ne quis seipsum spectro fidei fallat, obseruanda est antithesis, quæ fundamento fiducia opponitur, videlicet erubescant præuaricantes temerè. Ex hac enim antithesi per locum à contrarijs facile monstrari potest, vbi vera fides in corde habitet, & vbi spectrum fidei se tantùm in oculos ingerat. Nam duo genera hominum hic notantur: quorum alij veram fidem habent, alij spectro fidei fascinantur. Illi non erubescunt: hi autem erubescunt, id est, vana sua spe lactati confundentur. Expectantes te nõ erubescunt. Hic quum expectantes Deum & præuaricantes, opponuntur, debet obscurior pars per clariorem explicari, & ab ea veluti lucem mutuari. Quoniam igitur non est difficile iudicare, quinam dicantur præuaricantes, ex eo petemus definitionem eorum, qui verè Deum expectant, & non pudefient. Sunt autem absq; omni dubio præuaricantes temerè, qui cum à Deo defecerunt, non verentur nec Deum, nec homines offendere, tametsi nullo damno aut iniuria

iniuria laceſſiti. Eſt enim illis perinde ſiue bene ſiue malè faciunt, adeò ſecurè ſine ſenſu peccati, & iudicij Dei viuunt. Verbum Hebraicum Habogedim à veſte ſumptum videtur, quæ facilè induitur & exuitur. Vt igitur veſtis qua quis vtitur facilè exuitur, ita illi temerè exuunt fidem erga Deum & amicitiam erga homines, vt quem antè amarunt, iam ſine cauſa, id eſt, nulla laceſſiti iniuria odio proſequantur. hoc ſenſu videtur Ieremias vſus hoc verbo Threnorum 1. vbi ita ait: Omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei in inimicos. In Hebræo eſt Bagedu, quod verbum, vt dixi, à veſte ſumptum eſt, ac ſi diceret Propheta: qui prius vſi ſunt amicitia Ieruſalem, iam eam amicitiam exuerunt, poſtquam Ieruſalem victa ab hoſtibus iacet, & calamitatibus plurimis obruitur. Præuaricantes igitur temerè erunt qui ſcientes & volentes peccant, viuuntq; ſine pœnitentia. Hos dicit Propheta confundi ſeu pudeſieri, quod ſanè mirum non eſt, quia ſpectrum fidei tantùm habent, & non viuam fidem. Viua enim fides nullo modo ſtare poteſt cum mala conſcientia. repulſa enim conſcientia, vt Paulus loquitur, naufragium fidei fit.

Eſt igitur firma demonſtratio in Theologia.

ENARRATIO

logia. Quorumcunq; opera sunt impia & mala, illi quoq; impij, mali, & vacui fide sunt. Opera Neronis sunt impia & mala. Ergò Nero impius & malus fideq; vacuus est. Non enim sufficit oris professio, nisi facta respondent verbis. Nam ad Titum scribit Paulus: Deum profitentur se scire, sed factis negant, cum sint abominabiles, & immorigeri, et ad omne opus bonum reprobi. Ex his igitur manifestum est, quinam dicantur præuaricantes temerè, quibus opponuntur expectantes Dominum, ut qui nò præuaricentur temerè, id est, qui tales sunt, ut à Deo non deficiant, nec scientes nec volentes peccent, sed retineant fidem & bonam conscientiam, peccatum fugiant, & habeant perpetuò proæresin rectè beneq; agendi, ne vel Deum quem timent offendant, vel homines lædant, quos ut membra corporis eiusdem complectuntur. Qui huiusmodi sunt, habent veram & viuam fidem, quorum spes non confundet. de hisce Psal. 130. loquitur cum inquit: Expectet Israel Dominum, quia cum Domino est misericordia, & multa apud eum redemptio. Hi ergò soli possunt subsumere sub principio dato: Nulli expectantes Dominum frustrabuntur sua spe, Ego David expecto Deum. Ergò nequaquam frustrabor mea spe.

Pre-

PSALMI XXV.

Precaturus igitur Deum adhibeat hanc regulam, qua nulla certior esse potest: Si odis peccatum, si confugis ad misericordiam, si habes *πρόθεσις* rectè faciendi, si propositum peccandi in animo nullum remanet, viuam fidem habes, & potes audacter in Christo ex hoc principio aduersus Sathanam, mundum & carnem concludere: Expectantes Deum non confundentur, Ego expecto Deum. Ergò non confundar. Contrà autem si non tangeris sensu peccati, si propositum habes peccandi, spectrum tantum habes fidei. Quare frustra fundamento hoc niteris, quia inter præuaricantes censeris, quorum oratio est abominatio coram Deo. Præuaricantibus Deum temerè, adiungo hypocritas, quorum vita etsi videtur sancta, & mores inculpati, tamen quia suis virtutibus fidunt, & collocant salutis fiduciam in meritis, à via recta errant, ac spoliant Christum debito honore, quare & illorum preces sunt irritæ. De his lege 6. caput Matthæi.

Haftenus de prima parte Psalmi diximus, iam breuiter doctrinas seu locos huius Capituli notabimus. Sunt autem hi loci præcipui.

Primus, ad quem precibus sit confugiendum, nempe ad Deum ipsum, cui soli inuocationis cultus debetur.

Secundus

ENARRATIO

Secundus, definitio piæ orationis, videlicet quòd sit eleuatio animæ ad Deum ex fiducia promissionum diuinarum.

Tertius, quòd verè Deus exaudiat inuocantes iuxta suas promissiones.

Quartus, quòd illi soli orare rectè possint, qui agunt pœnitentiam, & abiecerunt propositum peccandi.

Quintus, quòd hypocritæ & criminosi orare non possint.

SECUNDA PARS PSALMI.

- 4 **V**ias tuas Domine demonstra mihi, semitas tuas doce me.
- 5 **D**irige me in veritate tua, & doce me: quoniam tu es Deus salutis meæ, te expecto tota die.
- 6 **R**eminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quoniam à seculo sunt.

Delia

7 Delicta iuuentutis meæ & transgressiones meas ne memineris, secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine.

HÆc secunda Psalmi pars precatio est ardentissima. Ut enim in prima parte præparauit se ad precandum Dauid, concepta in Deum fiducia, ex promissionibus diuinis: Ita in hac secunda parte ardentissimè precatur se à Deo doceri, dirigi, & sibi ignosci, idq; non sua ob merita, sed ob Dei misericordiam quæ perpetuò durat. hæc precatationis summa est. Nunc altius singula perpendamus.

Primum dicit vias tuas Domine demonstra mihi, vel ad verbum ex Hebræo: Vias tuas notas mihi fac, vel fac me scire vias tuas. Ut autem quæ sint viæ Dei planius intelligatur, vsus huius vocis, viæ, in scripturis nobis explicandus est. Via igitur propriè est qua itur de loco in locum. hinc metaphoricè transfertur vocabulū, vt via sit vitæ ratio, institutum, & mos actionū, ex quo natae sunt hæc loquendi formulæ: via hominis, via Dei, via mortis, via vitæ, via iustorum, via peccatorum

ENARRATIO

rum. Hæc etsi facilima sunt obseruata metaphora, tamen placet ea fusius declarare, ac primum de via hominis, & demde de vijs Domini dicemus.

Via hominis in genere est ratio institutioq; vitæ hominis quam viuit, vnde omnes à die natiuitatis ad extremum vsq; viatores, hospites, & peregrini dicimur. & dicitur via propter terminum à quo, medium, & terminum ad quem. Nam hac via itur ab hac vita per actiones vel ad mortem, vel vitam. Si male sunt actiones, per eas itur ad mortem, si pie, ad vitam. Non quòd opera & actiones nostræ mereantur vitam, sed quia sunt via vitæ, seu, vt Bernhardus loquitur, Opera nostra non sunt causa regnandi, sed via regni. Fulgentius hoc modo: Vita hominis via eius, qui malè viuit, viam tenet erroris, qui benè viuit, viam graditur veritatis. hinc patet quòd via hominis sit duplex, vna vitæ, altera mortis: illa iustorum, hæc peccatorum à Dauide appellatur.

Iustorum via duplex est, vna fidei, altera obedientiæ. Fidei via Christus est, quæ sola subducit homines in cælum. huc illud Christi: Ego sum via, veritas, & vita. qui ergò
in

PSALMI XXV.

In Christo per fidem manet, non aberrat, quia
 in via est: non fallitur, quia in veritate est:
 non moritur, quia in vita est. Et Cyrillus,
 Via sancta & pura qua itur ad supremam ci-
 uitatem Christus est. Obedientia via est con-
 formatio vitæ hominis ad voluntatem Dei iu-
 xta ipsius voluntatem, quantum id quidem in
 hac naturæ imbecillitate fieri potest. hinc sunt
 hæc scripturæ dicta: In præceptis meisambu-
 late. Et, Beati immaculati in via, quiambu-
 lant in lege Domini: hoc est, qui hanc viuunt
 vitam, ea faciunt, quæ doctrina cœlestis præci-
 pit atq; mandat. Et reuerti & auerti: vt re-
 uertimini ad me. Reuertatur vnusquisq; à via
 sua mala, & auertatur à via sua impia. Hæc
 iustorum via & hominis dicitur & Dei. ho-
 minis quidem quatenus in ea ambulat, Dei ve-
 rò quatenus à Deo præcepta est eiq; placet.

Peccatorum via carnis via dicitur, cum
 ex diffidentia homo malè viuunt contra volun-
 tatem Dei. Hæc via multis verbis describitur
 ad Rom. 1. & 2. Psal. 14. ad Ephe. 4. ad Ga-
 lat. 5. & alijs multis scripturæ locis, quos bre-
 uitatis gratia prætereo, & tantum annotabo
 viarum peccatorum ordines, qui sunt tres:
 quorum singuli habent 4. gradus.

In

ENARRATIO

In primo ordine sunt hi gradus: Cogitatio rei illicitæ, affectus cogitatione irritatus, consensus ab affectu exortus, & actio consentientis.

In secundo ordine est primo loco mala conscientia, quæ sequitur actionem pravam, ut fumus incendium, contemptus Dei, quo ipsius maiestas nihili fit, Idolatria seu Epicurismus, contemptus Dei iustissima pœna, & vniuersalis iniusticia, qua fit ut homines præcipites ruant tanquam phrenetici in omnia flagitia aduersus Deum, aduersus homines, & aduersus hominis dignitatem.

In tertio ordine primo loco est mens reprobata, quæ peruerso iudicio de omnibus rebus iudicat, atq; adeò omnem religionem in dubium vocat, ut legimus de Pontifice Romano Paulo Quarto. Mentem reprobam sequitur ἀπαλυσία seu dedolentia, videlicet cum homini, ut Paulus loquitur, cauterio resecatur conscientia. Hanc ἀπαλυσία sequitur finalis impœnitentia, cuius fructus in agone mortis est desperatio: qua nihil tristius, nihil acerbius cogitari potest. atq; hæc sunt viæ peccatorum, quæ deducunt homines ad æternos cruciatus.

Iam

PSALMI XXV.

Iam per antithesin ordines viarum iustorum, eorumq; gradus ordinemus.

In primo ordine erunt, pia cogitatio, affectus cogitationi respondens, consensus voluntatis pius, & actio congruens cum cogitatione, affectu & consensu.

In secundo ordine erunt bona conscientia dulcissima senectutis nutrix (vt ait Pindarus) ardentior amor Dei, purus cultus Dei, & vniuersalis iusticia, qua in omnibus studet rectè pieq; agere.

In tertio ordine erunt mens rectè docta, & quotidie crescens in sapientia & prudentia spiritali, dolor ob quemlibet vel minimum lapsum per ignorantiam & infirmitatem commissum, perpetuum sanctitatis studium, & gaudium spiritus inenarrabile, quo in Deo pius acquiescit, & certò expectat finem fidei, qui est salus animarum. Hæ sunt iustorum viæ, & beati qui ambulant in ijs. Quicumq; ergò salutis suæ cogitatione tangitur, relinquat viam mortis, & quærat viam vitæ per IESVM CHRISTVM, nec ob peccata commissa desperet. nam scriptum est Ezech. 33: Impietas impij non nocebit ei in quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua.

D

Hinc

ENARRATIO

Hinc etiam intelligi potest cur via interdum pro quavis secta, vocatione, more, consuetudine, constituto accipiatur, quemadmodum in actis Apostolicis videre est.

Placet & hoc annotare, quod Theologi distinguant viam à semita: Per viam quidem mandata ea peragenda intelligentes, quæ uniuerso generi mortalium data sunt, qualia sunt ea quæ in Decalogo præcipiuntur. Per semitam verò quæ huic vel illi personæ ex officij conditione præcipiuntur.

Via Domini non vno modo accipiuntur. nam interdum præcepta & promissiones Dei, via Domini dicuntur, vt in præsentì Psalmo, *Vias tuas Domine fac me scire. Item, Fac me viare in veritate tua.* Interdum affectus Dei, voluntatem & morem agendi significant, vt cum hîc dicitur: *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Item Psal. 145. Iustus est Dominus in omnibus vijs suis, & misericors in omnibus operibus suis.* Interdum conformationem vitæ hominis iuxta voluntatem Dei, quæ in ipsius verbo nobis commendatur, vt cum dicitur *Gene. 19: Scio quod præcepturus sis filijs tuis vt custodiant vias Domini, & faciant iudicium & misericordiam.* Hoc pacto in hominibus pijs viæ Domini sunt
fides

PSALMI XXV.

fides, spes, charitas, patientia, iusticia, misericordia, veritas, & alia virtutes ex fide & timore Dei manantes, quae ut praecipiantur à Deo, ita illi summè placent.

His de usu vocabuli breuiter indicatis redeamus ad textum. Vias tuas (inquit) Domine demonstra mihi. hic viae Domini significant promissiones & mandata Domini, quae requirunt fidem & obedientiam. Nam scire promissiones, & tenere mandata sine fide & obedientiae studio, obligat hominem ad maiora supplicia, iuxta illud Domini dictum: Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens vapulabit plagis multis. Quare cum petit David instrui in vijs Domini, simul petit fidem & praestandi facultatem.

Porro cum ter eandem precationem repetit, licet diuersis verbis, necesse est magnas huius precationis causas subesse. Primum enim dicit: Vias tuas Domine demonstra mihi. deinde: Semitas tuas doce me. Tum: Dirige me in veritate tua, & doce me. Quae omnia eandem omninò sententiam habent, & referrri debent ad tres primas petitiones Dominicae orationis. Nam nomen

S N A R R A T I O

Dei sanctificatur efficaci noticia Dei. Regno Dei per fidem aggregamur : & obedientiae studio voluntati Dei respondere conamur. Efficax autem noticia significatur vocabulo veritatis. Nam Hebraeis verba noticiae per synechdochen saepe simul significant affectus sequentes noticiam. hinc est quod Emeth, quo verbo hic utitur David, significet non tantum verbum Dei verum & immotum, & promissiones gratiae certissimas, verumetiam firmum assensum verbi, et promissionum diuinarum, fidem, cum qua fide coniuncta est obedientia erga Deum cum bono proposito. Opponitur proinde veritas non solum opinionibus & mendacijs omnium hominum & diabolorum, verumetiam hypocrisi cum fidei tum operum. Is proinde dirigitur in veritate Dei, cui certo persuasum est de infallibili veritate verbi Dei, cuius ex fide hoc vnicum in votis est, vt suam vitam & mores ad regulam veritatis componat, crescatque quotidie in omni cognitione & sensu.

Quae sunt causae huius ardentissimae precationis toties iteratae? Etsi multae huius rei causae sunt, tamen nos tres potissimum notabimus harum prima est: homo suo carnali iudicio relictus, nihil recte iudicat de Deo:
nihil

nihil certi nouit de voluntate Dei, sed instar arundinis nunc huc, nunc illuc opinionibus impellitur, id quod satis ostendunt furores plurimarum sectarum, et hæreticorum. Homo enim fluxuans non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Vt igitur non circumferamur quouis vento doctrinæ, & agitemur varijs opinionib. opus est nobis doctrina cœlesti, quæ sola omni errore caret, quæ sola nos ducit ad sacrarium Dei, vbi & ipsum Deum & ipsius voluntatem cognoscamus. Secunda causa est, vt testetur David opus esse in Ecclesia voce docentium & magisterio Spiritus sancti, qui ad externam verbi prædicationem efficax est. Nam cum homo voce docetur externa, & Spiritus sanctus doctrinam in corde efficacem facit, Theodidactos dicitur. Non vult ergò David vt more Enthusiastarum & Anabaptistarum queramus reuelationes extra verbum, quasi illi censendi essent Theodidacti, qui contempto ministerio verbi, per afflatus, nescio quos, furere videantur. Tertia causa est necessitas. Nam vt solæ viæ Domini, quæ monstrantur in Prophetis et Apostolicis scriptis, sunt viæ ad vitam & salutem: ita sine noticia harum viarum rectâ properant homines per viam erroris ad certissimum interitum.



ENARRATIO

Hinc ergò patet & quo in loco habere nos oporteat ministerium verbi, & quo affectu erga eos deceat nos esse præditos, qui has vias in scholis & templis monstrant, & qua animi promptitudine par sit vt verbum Dei audiamus, sine quo vias Domini ignorare necesse est. Hoc proinde Davidis exemplum merito mouere deberet non solum reges & principes, vt & ipsi peterent se doceri vias Domini, & conseruari puritatem doctrinæ in scholis & in templis, verumetiam patresfamilias omnes, vt hanc curam potissimum haberent, vt sui liberi in vijs Domini rectè instituerentur, ac vitam suam ad normam viarum Domini formarent.

Sequitur ratio petitionis: Quoniam tu es Deus salutis meæ, te expectaui omni die. Hæc ratio petitionis sumpta est à fine spei, quæ ex noticia viarum Domini & promissionum diuinarum nascitur: & habet scopum salutem, cuius autorem Deum agnoscit. Nam Deus salutis meæ, nihil aliud est, quàm Deus qui est author & dator salutis meæ, siue Deus saluator meus. Quid significetur expectandi vocabulo supra in prima parte Psalmi dictum est, videlicet quòd expectatio

fit

Sit certa fiducia diuinarum promissionum, quæ fiducia nota piorum est, & habet semper coniunctum propositum piè recteq; agendi. Per salutem hîc intelligit tum salutem corporis, tum æternam animæ & corporis salutem, qua nequaquam frustrabuntur qui promissionis fidem vsq; ad finem retinent.

Huius salutis collatio cum damnatione, in quam iusto Dei iudicio omnes non conuersi incurrunt, vt meritò in nobis excitare deberet amorem verbi Dei, fidem, patientiam, dilectionem Dei & proximi atq; alias virtutes, ita contrà, impios aut ad pœnitentiam impellere deberet, qua redirent à suis vijs peruersis, aut metum impendentis iustissimi iudicij ipsis incuteret. Nam vt finis fidei & obedientiæ ex fide præstita est benedictio Dei salusq; animæ & corpori, ita diffidentiæ & inobedienciæ ex ea nata finis est maledictio, & ad æternam mortem condemnatio, quæ sanè mors non erit sensus expers & priuatio vitæ naturæ, quod haud dubiè omnes impij optarent, sed est perpetuus animæ & corporis cruciatus, & priuatio vitæ, gratiæ & gloriæ beatorum, quæ est Deus ipse. vnde Augustinus: Sicut vita corporis anima est, ita vita animæ Deus est. Sicut corpus expirat dum amittit animam, sic

ENARRATIO

anima exspirat dum amittit Deum. Deus amissus mors animæ, anima amissa mors corporis. hinc ergò manifestum est, quanta cura salutis consequendæ hominibus esse deberet.

Sextus versus exordium consolatorium habet petitionis remissionis peccatorum, quæ sequitur in septimo. Exordiolum est: Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quæ à seculo sunt. Hic rursus fundamentum fiduciæ sternit, vnde erigitur inter precandum animus. nam ex cogitatione misericordiae Dei concipitur fides, & confirmatur fiducia remissionis peccatorum. cùm ait: quæ à seculo sunt, sensus est, vt exprimitur Psal. 103: Misericordia Domini ab æterno vsq; ad ad æternum super timentes eum. Extendit enim se misericordia Dei ad omnes omnium ætatum homines, seu vt Canticum virginis habet, in progenies progenierum, scilicet eorum, qui timent Deum, & ad ipsum confugiunt vera fide. Quare non est quòd quisquam se de eorum numero eximat, quos Deus decreuit saluare, sed potius se includat in vniuersalem promissionem misericordiae, qua Deus omnes,

vt

vt Syracides loquitur, complectitur homines, neq; quisquam est qui non sit expertus argumenta bonitatis Dei erga se, vnde Iob non exiguam in sua calamitate consolationem habet: Manus, inquit, tuæ finxerunt me, & fecerunt me omni ex parte, & disperdis me? &c. Etsi autem Iob in maximo luctu fuit, & horrendis tentationibus concutiebatur eius animus, tamen recolens priora beneficia Dei sibi præstita sustentat se, & paulatim in eo præteritorum beneficiorum cogitatione crescit fides. Ad eundem modum & nos reuocemus in memoriam Dei prisca beneficia, & præcipue quod nobis in lucem editis per baptismum obsignauerit gratiam & misericordiam, à quo fœdere non recedet seruata conditione, ex parte hominum, quam pactio requirit. quia perfectè bonus est. Nam πᾶρ ἀγαθῶν ἰσχυρὴ ἐστὶ φύσις, id est, Omne bonum æqualem naturam habet. Proinde hæc firmissima demonstratio est de fauore Dei & beneuolentia erga nos. Hactenus mihi Deus multa temporalia & spiritualia contulit beneficia. Igitur etiam in posterum mihi benefaciet. Hæc conclusio fidei est. qui autem fide carent, suapte culpa pereunt. Nam vt Deus misericors est erga omnes fideles, ita iustus iudex omnium impiorum erit.

D 5

Porro

ENARRATIO

Porro cum petit ut Deus reminiscatur
 θυρω ποπαδεια est. Deus enim reuera omni-
 um prateritorum, presentium, & futurorum
 perfectissimam habet noticiam, adeo ut nullius
 obliuisci possit, cum omnia sint nuda & aperta
 coram oculis eius. Verum hac forma loquendi
 usus est Dauid propter homines, qui putabant
 Deum oblitum fuisse promissionum, quas Da-
 uidi de regno fecerat. Possumus etiam dicere
 metalepsin esse, qua antecedens pro consequen-
 te ponitur. Ut enim nouisse pro approbare, ita
 reminisci pro curam gerere, tueri, & secun-
 dum misericordiam conseruare atq; adeo salua-
 re ponitur.

Petitio remissionis peccatorum sequi-
 tur: Delicta iuuentutis meae, & transgressio-
 nes meas ne memineris, hoc est, Ignosce pecca-
 tis meis cum originali, tum actualibus omni-
 bus. Ut autem recordari peccatorum est ea im-
 putare & punire: Ita non recordari, seu non
 meminisse est peccata delere, tegere, & condo-
 nare. Sic Dominus apud Esaiam loquitur cap.
 43: Ego ego sum ipse qui deleo prauaricatio-
 nes tuas propter me, & peccatorum tuorum
 non recordabor. Hic delere peccata & recor-
 dari peccatorum opponuntur, vnde colligitur
 quod non recordari seu non meminisse accipia-
 tur

tur per metalepsin pro delere & condonare peccatum. Meminit autem hic David duplicium peccatorum: alia iuventutis delicta nominat, alia appellat transgressiones. Differunt autem hæc causis efficientibus potissimum. Nam delicta ab ignorantia & infirmitate proficiscuntur, sub quo genere originale colloco, utpote fontem aliorum. Transgressiones sunt peccata quæ scientes et volentes committimus. Etsi autem utrunq; genus sua natura obligat ad poenam, tamen permagnum est discrimen. Delicta enim seu peccata ignorantia & infirmitatis nec fidem extinguunt, nec spiritum sanctum excutiunt, nec conscientiam vastant in renatis, quemadmodum ea peccata faciunt quæ scientes & volentes committimus. Hinc est quòd Paulus aliud peccatum regnans appellat, aliud non regnans, sed domitum & veluti freno spiritus subiectum. Ne regnet, inquit, peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis peccato in cupiditatibus corporis. Est ergò regnans peccatum, cum voluntas hominis se submittit peccato ad obediendum concupiscentijs corporis. Non regnans autem, quando voluntas hominis opponit se imperio peccati, & non obtemperat concupiscentijs corporis, sed reluctatur per spiritum fidei. Etsi autem omne peccatum

catum

ENARRATIO

tatum voluntariū regnans dicitur, tamen tria sunt peccatorum genera, quæ per excellentiam peccata dici possunt, de quibus Sapiens in hanc sententiam loquitur: Duo sunt hominū genera quæ peccata multiplicant. Tertium etiam quod iram importat. Anima æstuans tanquam ardens ignis, qui non extinguitur donec absumatur: homo scortator in corpore carnis suæ non conquiescit donec ignem accenderit: quiuis cibus suavis est homini scortatori, non cessabit donec intereat: tum thori sui homo temerator sic animo secum cogitans, quis me videt? tenebris circumseptus sum, parietibus occultus, nec quisquam me videt, quidnam metuum? peccata mea non curat altissimus. Hic Sapiens tria dominantium peccatorum genera recitat, Primi generis sunt prauæ animi cupiditates æstuantes, vt ira, odium, auaritia, ambitio, & cæteræ immoderatae affectiones, quæ in animo hominis veluti in fornace accensæ sunt. Secundi generis sunt libidines omnes consueta extra coniugium, quæ indies magis magisque veluti flamma quædam exardescunt. Tertij generis est eorum qui declinant à thoro legitimo, & se ad alienas conuertunt. Hæc tria dominantium peccatorum genera cum comparantur igni & incendio seu flammæ ardenti, nequaquam extinguuntur.

PSALMI XXV.

tingui possunt, nisi verbo Dei & Spiritu sancto reprimantur.

Porro ut maius in nobis excitetur peccati odium, duo hic ascribam. Primum ex Paulo causas peccatorum annotabo, quo prudentius medicina adhiberi possit. Deinde, quæ mala in peccati ratione concurrunt indicabo, ut horum malorum cogitatione à peccando magis absterreamur.

Causæ peccatorum ad Ephe. 2. hisce verbis enumerat Paulus: Et vos conuiuificauit qui eratis mortui in delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris spiritus nunc operantis in filiis contumaciæ, in quibus & nos omnes versati sumus aliquando, in concupiscentijs carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum. In hisce Pauli verbis, si ea diligentius examinauerimus, habemus causas peccatorum omnium grassantium in hac vita, quas iuxta consecutionis ordinem digeram.

Prima igitur peccatorum causa est ἐπιθυμία σαρκός, id est, carnis concupiscentia, videlicet originalis & passiuæ, quæ etiam peccatum Originale dicitur. hæc omnis malæ
prima

ENARRATIO

prima radix est, & omnium viciorum mater
fecundissima.

Secunda causa est δίαβολα τῆς σαρκός,
hoc est, viciosa naturæ prava cogitatio & ra-
tiocinatio, videlicet cum ea quæ carni placent,
ratiocinamur ex cupiditatis principijs contra
rectæ rationis dictamen. Nam cum δίαβολον ἡ
facultas sumit sibi hoc principium monstratum
ab innata concupiscentia: Quæ delectant, quæq;
naturæ suauia sunt, sunt expetenda & sectan-
da: homo miserè deceptus in omnia volupta-
tum genera veluti præcipitatur, nihil, aut pa-
rum cogitans de hominis excellentia & digni-
tate, sed fœdè se infra vilissimas bestias abijci-
ens. hinc Epicuri schola initium cœpit, quæ
utinam non plures haberet discipulos quàm
Christi schola. Etsi autem fuerunt Philosophi
excellentes, vt Socrates, Plato, Aristoteles,
Plutarchus, & alij plurimi, qui scholam Epi-
curi condemnarunt, tamen parum effecerunt,
quia nec originem, nec remedium mali humanæ
naturæ innati nouerunt. Multi quidem ex
scintillis hominibus insitis de honestis & tur-
pibus nouerunt, quòd illa his sint præferenda,
Tamen euentus docuit quàm miserè decepti
sint. Nam nemo inter eos Philosophos fuit,
qui

Qui non aliquo singulari flagitio fuerit con-
spurcatus.

Tertia causa est *δελιματης σαρκος*,
id est, voluntas carnis, hoc est, *προαιρεσις* &
consensus, in ea, quae τὸ *διανοητικόν* concludit
ex concupiscentiae principijs. haec voluntas con-
summatio peccati est. atq; ita videmus quomo-
do se habeant in peccati ratione partes animae
διανοητικὴ & *ὄρετικὴ*: illa quidem vim cogi-
tandi & ratiocinandi habet, sed propter con-
cupiscentiam innatam caeca & ignara est, do-
nec à Domino illuminetur, ac doceatur: haec in
appetendo posita est, sed propter originale ma-
lum, est immoderata & dissoluta, nisi à Domi-
no regatur & contineatur. Quia autem ex his
duabus facultatib. peccata omnia manant, Sa-
piens meritò precatur in hunc modum: Quis ca-
stigationem cogitationi meae adhibeat, & cor-
di meo sapientem institutionem, ne ignorantiae
meae multiplicentur, & peccata mea pernicio-
sam accessionem faciant. Quòd autem castiga-
tionem cogitationi adhiberi cupit Sapiens, ra-
tio est, quia hanc primam actualis peccati cau-
sam agentem agnoscit. Deinde quia homo non
potest facilius seipsum cognoscere, quàm ex co-
gitatione propria, & sui animi conscientia.
hinc est quod in alio loco Sapiens dicit: Quem-
admo-

ΕΝΑΡΧΗ

admodum sordes in excusso cribro remanent :
ita spurcitia hominis in cogitatione ipsius. For-
nax probat vasa figuli , homo verò in cogitati-
one probabitur.

Quarta causa αἰῶν τοῦ κόσμου τούτου
seculum mundi huius, hoc est, mores hominum
sceleratissimi. Nihil enim magis mouet quàm
multorum exempla, præsertim in deteriore
partem. Vnde rectè ab Agapeto dictum est :
ἡ κακὴ συνήθεια πονηρίας νομῆ, hoc est, mala
consuetudo maliciæ pabulum est.

Quinta est princeps aeris, qui & mul-
tas occasiones & multa scandala obijcit homi-
nibus, vt eos præcipitet in foueam exitij.

Has causas cùm pij cogitant, armabunt
se spiritualibus armis aduersus mundum, car-
nem, & Sathanam, & simul cogitabunt quan-
ta mala peccatum, præsertim voluntarium se-
cum adferat, quæ cogitatio non parum facit ad
retinendos homines in timore Dei. Etsi autem
profundissimum pelagus malorum in peccatis
existit, tamen ea ad quinque Capita reuocare co-
nabor.

Primùm, Peccatum hominis supra mo-
dum Diabolo, vtpote eius auctori, gratum est :
qui facit peccatum, non solùm facit volunta-
tem

PSALMI XXV.

sem Diaboli, ut Christus testatur, verumetiam circumgestat characterem eius in signum defectionis à Deo, & obsequij erga Diabolum: qua re non parum delectatur Sathanas, qui ut Augustinus ait, semper prava docet, & turpibus gaudet. Quantum autem hoc malum sit, quamq̃ indignum homine ad Dei imaginem condito, nemo satis cogitare potest, nedum verbis eloqui.

Secundum cum primo coniunctum est, videlicet quòd peccatum gravissimè Deum offendat, qui prohibet, odit, & abominatur peccatum. Nam homo per peccatum non solùm proditoriè à Deo deficit, & eius legem contemnit, verumetiam nefariè se in castra hostis Dei recipit, qua turpissima ingratitude nihil tristius esse potest. hanc ingritudinem exaggerat Moses Deut. 32. cùm ita ait: Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.

Tertium nocet committenti. Primum enim homo, qui sciens et volens peccat, gratiam quam habuit ante commissum peccatum, amittit, & quidquid unquam boni fecit, in summam obliuionem venit apud Deum. Ita enim ait Ezechiel: Si auerterit se iustus à iusticia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iusticiae quas

E. fecis

6 NARRATIO

fecit obliuioni tradentur. Deinde peccandi
 consuetudo paulatim excæcat hominem, atque
 adeo ipsum inescat & decipit, vt nec videat
 quod rectum est, nec sentiat hamum Diaboli,
 quo ad mortem trahitur. Nam falsa delecta-
 tione cupiditatem auget, & stulta ratiocina-
 tione rationem euertit, vt homo tandem fiat
 sicut mulus & asinus, in quibus non est intelle-
 ctus, & de peccato in peccatum ruat, vt se-
 quens peccatum sit antecedentis pœna. Rectis-
 simè ergò monet Sapiens cùm inquit: tanquam
 à conspectu serpentis fuge peccatum, nam si
 propius accesseris, mordebit te. Hoc dictum
 ostendit quàm periculosa & perniciosa sit pec-
 candi consuetudo & continuatio. Nam com-
 parat peccatum venenatissimo serpenti, cuius
 morsus perniciem solum adferre potest. Proin-
 de rectè Augustinus: Omnia seminaria volu-
 ptatis venenum puta. Et Bernhardus: Exper-
 ta voluptas libenter repetitur, repetita blan-
 ditur, consuetudo ligat, ratio sopitur, atq; ita
 ex consuetudine peccandi quodammodo fit ne-
 cessitas. Vnde Solomon: In iniquitate sua ca-
 pitur impius, & funibus peccati sui constrin-
 getur. Et quidem alius ait: Praua consuetu-
 do est veluti lepra inueterata, quæ vix curari
 potest, adhæc quicquid facit vel domi vel fo-
 ris,

ris, vel in politica aut Ecclesiastica, seu œconomica administratione homo peccatis indulgens, & ruens de peccato in peccatum, est aut planè noxium aut prorsus inutile. Quemadmodum Esaias comparat opera impiorum ouis aspidum & telis aranearum. Quid dicam de amarissimo fine hominis, qui maliciosè peccatis indulget. decedet enim ab hac vita mala cum concupiscentia, qua pœna quid tristius esse potest? Et postea æternis supplicijs tradetur à iustissimo iudice. Vnde Archilochus ἐπὶ δὲ ἐπισαμαί μέγα ἔρ κακῶς δὲ ὄντα δ' εὐοίς ἀνταμείβεσθαι κακοίς, hoc est, vnum noui & illud quidem magnum, malefacta malefactori grauissimis compensatum iri malis.

Quartum peccatum sua contagione inficit etiam alios, vnde Medea dicit: Ingressus malarum foeminarum ad me etiam me deterio-rem fecerunt. Vt enim qui pice contaminatus est, contaminat quicquid attigerit: ita homo malus & peccati pice sorditus, eos quibus cum conuersatur, foedat.

Quintum peccatum in se abominabile est, quia est imago Sathane, & turpe, quouis cæno & sterquilinio foedius. Hinc Petrus peccatores porcis comparat, quia in peccato veluti in stercore foedito volutantur.

ENARRATIO

Has causas, & hæc mala quæ secum
adfert peccatum cogitemus, nobisq; dictum pu-
temus, quod Dominus sanato à se dicit Ioan. 5.
Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare,
ne quid deterius tibi contingat. Vulnus enim
iteratum tardius sanatur. & Christus Luca
11. ait de spiritu malo egresso ab homine, qui
reuersus assumpsit secum alios septem spiritus
nequiores se, & facta sunt nouissima istius
hominis peiora prioribus.

Ratio petitionis remissionis peccatorum
sequitur, cùm ait: Secundum misericor-
diam tuam memento mei tu propter
bonitatem tuam Domine. Hæc ratio
sumitur ab affectu Dei erga homines ipsum in-
uocantes. memento mei, inquit, hoc est, curam
mei habe, tanquàm pater filij, tuere, ignosce
peccatis, quia misericors es & bonus. hæ duæ
virtutes, videlicet misericordia et bonitas sunt
veluti radij quidam diuinæ essentia seu essen-
tialis bonitatis Dei erga homines. Misericor-
dia, Hebræis Chesed, est paternus affectus Dei
erga homines. nam in genere significat soçylis
illam pietatis, qua parentes naturaliter tan-
guntur erga liberos, et vicissim liberi erga pa-
rentes. hinc ad Deum transfertur, & à Paulo
digi-

PSALMI XXV.

dicitur *Ὠλιανθρωπία*, cuius effectus bonitas est, hoc est, benignitas, quæ apud Paulum vocatur *ἡσέτης*, videlicet cum Deus ex storga paterna benefacit homini, ac eum benignè fovet.

Iam locos huius secundæ partis Psalmi assignemus.

Primus, *Vias Domini*, id est, voluntatem, promissiones, & mandata Domini rationis lumine cerni non posse. Nam si cernerentur lumine rationis, non peteret David eas sibi monstrari diuinitus.

Secundus, Deum ipsum hominibus suas vias patefacere, & in ijs homines deducere ne aberrant. Nam petitio ostensionis viarum Domini nititur fide promissionis.

Tertius, Deum eorum qui in se sperant, saluatorem esse unicum. Nam cum Deus dicitur Deus salutis, significatur quòd iuxta regulam decreti sui salutem præstet.

Quartus, Misericordiam Dei nullis claudi ætatum terminis, sed se extendere in omnes & super omnes omnium ætatum homines, qui ad ipsum in veritate confugiunt. hoc enim significatur cum inquit: quæ à seculo sunt.

Quintus, Deum paratum esse ad ignoscendum omnibus ijs, qui ex vera fide veniam

E 3

petunt.



ENARRATIO

petunt. apud Deum enim non est *προσωποληψία*. ut enim erat paratus ad ignoscendum Davidi petenti: ita & alijs petentibus ignoscit.

Sextus, bonitati Dei accepta ferenda esse omnia commoda, quæ in hac vita & in futura nobis contingunt. David enim hîc ad Deum ut fontem omnis bonitatis confugit.

Septimus, Deum non aliter affectum esse erga homines pœnitentes, quàm pius pater erga tenerrimam prolem affectus est, id quod hoc loco ex attributis Dei colligitur. Unde monemur nostri officij, ut illum simili prosequamur storga.

TERTIA PARS
PSALMI.

8 Bonus & rectus Dominus. propterea docebit peccatores in via.

9 Diriget afflictos in iudicio, docebit afflictos vias suas.

10 Uniuersæ viæ Domini misericordia & veritas, custodientibus

bus testamentum eius, & testi-
monia eius.

HÆc tertia Psalmi pars prædicat bonitatem
& misericordiam Dei, vt eius cogitatione
fides excitetur, & confirmetur animus precant-
tis. Supra petijt David sibi monstrari & osten-
di vias Domini, petijt sibi ignosci. hic à na-
tura Dei rationem suæ precatationis petit. De-
us est bonus. ergò errantibus viam monstrabit.
Deus est misericors & verax in suis promissis.
ergò pœnitentibus ignoscet. atq; hæc summa est
huius partis Psalmi, iam propius singula aspi-
ciamus.

Primum tribuit Deo duo Epitheta,
cùm inquit: **Bonus et rectus Dominus:**
quorum prius causa, posterius effectus est. Bo-
nus dicitur Deus essentia, perfectione, origine
& causa. Essentia bonus est Deus, quia est
essentialis quædam bonitas. Perfectione bonus
est, quia is solus absolutè est bonus. Origine
bonus est, quia est fons omnis bonitatis in cre-
aturis. Causa deniq; bonus est, quia est causa
omnis boni in natura, vt Plato rectè dicit. Est
enim, vt idem ait, *αὐτὸς* bonorum omnium,
& *ἀλλόθεν* verò malorum. Cùm autem Deus
ita bonus sit, nihil potest ab eo proficisci nisi
E 4 quod

ENARRATIO

quod bonum est, malum enim diuinæ nature
 aduersatur. Deinde Rectus dicitur, hoc est, nō
 deflectens à recto in hanc vel in illam partem
 propter personam, sed constans iuxta regulam
 sui decreti æternam, quæ regula est, quòd vni-
 uersaliter irascatur peccatis hominum, vni-
 uersaliter quoq; recipiat in gratiam pœniten-
 tes, atq; ita seruat æqualitatem iuxta regulam
 absq; personarum acceptione: Quod si non face-
 ret, inæqualis esset, atq; adeò iniquus, & iniu-
 stus, quod sanè à bonitate eius alienissimum
 est. Rectè igitur David ex eo quòd bonus sit et
 rectus infert: propterea docebit pecca-
 tores in via: hoc est, monstrabit peccatori-
 bus viam rectam, quæ est via salutis. Nam
 qui verè bonus est & rectus, cupit alios sibi
 similes fieri. Cùm igitur Deus sit optimus &
 rectissimus, non potest aliter fieri, quàm vt om-
 nia bona & recta esse velit. hinc est quod De-
 us suum verbum emittat in vniuersum orbem,
 quo verbo peccatoribus rectam salutis viam
 monstrat, quam si non ingrediuntur homines,
 suapte culpa pereunt, ingrati Deo, qui illis re-
 ctam viam monstrauit.

Porro vt distinguat David inter pecca-
 tores contumaces & pœnitentes, applicat pro-
 missiones

missiones pœnitentibus hisce verbis: *Diri-*
get afflictos in iudicio, docebit affli-
ctos vias suas. hoc est, quia Deus bonus est
 et rectus, suo more agit cum afflictis, id est, pœ-
 nitentibus, seu vt Christus loquitur, pauperi-
 bus spiritu, atq; eos suas vias docebit reuocan-
 do eos ab errore ad veram scientiam salutis per
 remissionem peccatorum propter viscera mise-
 ricordia sua. atq; ita posterior pars versus, in-
 terpretatio est prioris partis, seu definitio iu-
 dicij Dei in afflictos, hoc est, in pauperes spiri-
 tu, quos Christus pronunciat esse beatos, pro-
 pterea quòd eorum sit regnum cœlorum. Sed
 quò fit quòd pauperes dicantur qui possident
 regnum cœlorum? Natura sua & sensu sunt
 pauperrimi. Gratia autem Dei sunt ditissimi,
 idq; cum propter fidem, qua in præsenti vita
 Christum possident, tum propter spem quam
 habent de occupando promisso regno, quæ sanè
 spes nequaquam confundet eos. Vt autem de
 iudicio Dei hunc versus exponerem, & non
 de iudicio afflictorum, interpretatio addita me
 monuit.

Porro vocis huius, iudicij, vsus in scri-
 pturis est varius, quem explicare facilius nobis
 erit, si primùm proponamus distinctionem à

E N A R R A T I O

subiectis petitam, vt deinde membra distincti-
onis definitionibus illustremus.

Distinctio hæc sit : Iudicium aliud Dei
dicitur, aliud hominis. Iudicium Dei propria
& naturali, hoc est, prima significatione est
sententia diuina, qua ipse Deus, vt iustissimus
iudex, alios quidem vt fontes damnat & pu-
nit, alios verò vt insontes absoluit & liberat.
In hoc iudicio causarum & non personarum
ratio habetur. quare semper hoc iudicium iu-
stissimum est. Iudicium Dei triplex esse inue-
nitur : aliud enim generale, aliud particulare,
aliud finale dicitur : quod etiam vniuersale
vocat.

Generale iudicium Dei est, quòd Deus
omnes homines propter peccatum primorum pa-
rentum subiecit morti & damnationi. Ab
huius iudicij damnatoria sententia liberantur
per Christum quotquot in ipsum crediderint,
Rom. 5.

Particulare in genere est constans sen-
tentia diuinæ in verbo reuelatæ executio, cum
in puniendo iustè, tum in liberando misericor-
diter. Cùm ergò Deus punit Pharaonem, &
liberat Mosen, vtrumq; iudicium Dei est. nam
dum punit Pharaonem, exequitur suam senten-
tiam, quam verbo reuelauit de pœna contuma-
cia.

PSALMI XXV.

via. Dum Mosen liberat, exequitur suam sententiam verbo reuelatam, videlicet quòd misericordia sua ornet & circumdet timentes se, seu, vt loquitur hic David, afflictos dirigat in iudicio suo, hoc est, doceat eos vias suas iuxta suam promissionem. Breuiter hoc iudicium Dei est mos agendi Deo familiaris & vsitatus iuxta ipsius verbum. Cùm igitur inuocantes afflictos exaudit, cùm oppressos liberat, cùm deducit ad inferos & reducit, cùm Ecclesiam cruci subiicit, cùm expectat hostium pœnitentiam, breuiter cùm secundum suas promissiones agit, iudicia exercere dicitur Dominus. Ab hac significatione variè transfertur vocabulum iudicij, & in varia significata deducitur. Nam interdum totam iudicis Dei gubernationem, administrationem & functionem, adeoq; ipsum administrationis ius significat, idq; per Synechdochen, qua partis nomine interdum totum comprehenditur, vt in hoc dicto: Deus iudicium tuum regi da, & iusticiam tuam filio regis. Interdum rursus non toti, sed totius singulis subiectis partibus tribuitur eadem figura. hinc est quòd iudicium Dei nunc significet ordinationem, Prouerb. 16: Regula & statera iudicium sunt Domini, nunc constitutiones & leges, Exodi 21: Hæc sunt iudicia quæ propones

nes



ENARRATIO

nes eis. Nunc quodlibet verbum Dei, vt in Psalmo, Iudicia sua manifestabit eis. Nunc opera verbo exacta, Leuit. 18: Iudicia mea facietis, hoc est, opera quæ vobis mandavi. Nunc præmium obedientiæ, nunc pœnam contumaciæ.

Finale iudicium, quod vniuersale vocant, exercebit filius Dei in extremo die, iuxta formam quam ipse præscribit Matth. 25.

Iudicium hominis, quia homo inconstans est, non potest vna constanti definitione claudi. Quare adhibita distinctione conabimur rem illustrare. Sit ergo iudicium hominis, aut hominis de alio homine, vel de alia quauis re, aut hominis intra se & de seipso.

Iudicium hominis de homine est rursus duplex. Nam vel est hominis iudicis de homine in iudicium adducto, vel hominis non iudicis de homine, aut alia quauis re extra iudicium. Iudicium hominis iudicis est sententia in iudicio prolata, qua iudex hominem vel absoluit vel damnat. Hoc, cum causarum ratio iuxta legis sententiam habetur, iustum est. Contra verò, cum neglectis causis personæ ratio habetur, iniustum est. Hinc in varia significata deducitur vocabulum, vt nunc significet
totam

PSALMI XXV.

totam iudicis & magistratus functionem, nunc
 quaslibet eius partes & officia, ut sunt ordi-
 nationes magistratus, constitutiones, leges, ca-
 sus incidentes, id est, causæ, & pœnæ quibus
 afficiuntur damnati, ut cum dicitur, quorum
 iudicium iustum est, item, qui resistunt pote-
 stati, iudicium sibi acquirunt. Hæc significata
 per tropos, Synechdochen, metonymiam et me-
 talepsin vertuntur.

*Iudicium hominis non iudicis de homi-
 ne vel de alia quavis re, est sententia hominis
 vel concepta animo tantum, vel concepta &
 prolata simul, siue recta sit siue iniqua.*

*Iudicium hominis intra se, vel de seipso,
 variat pro animi affectione hominis. hinc est
 quod hoc genus iudicij aliàs verum & rectum,
 aliàs hypocriticum & falsum sit. Verum est
 & rectum, cum secundum res ipsas & quali-
 tates animi nostri atq; actiones de nobis ipsis
 iudicium ferimus. Hoc reddimur pauperes
 spiritu, hoc compellimur ad Christum. huius
 iudicij pulcherrimam picturam licet in Publi-
 cano cernere. Hinc transfertur vocabulum
 cum ad causas, tum ad effecta, atq; adeò ad acti-
 ones ipsas, quæ sunt fuga peccati, studium iu-
 stitiæ, & pia operatio, ut cum dicitur: feci iu-
 dicium*

ENARRATIO

dicium & iusticiam, hoc est, declinaui à malo
& feci bonum, seu vitavi prohibita & feci
mandata.

Hypocriticum seu falsum iudicium est,
quo iudicamus de nobis ipsis partim ex collatio-
ne nostri cum alijs, partim ex larua externorū
operum. Huius iudicij exemplum habemus in
Pharisæo, qui cū intueretur Publicanum, &
sua opera cogitaret, se iustum putabat, cū ali-
ena miseria, tūm sua, vt ipsi videbatur, iusti-
cia. Hoc iudicij genere homines redduntur su-
perbi, hoc est, à Christo alienantur, atq; adeo
in damnationem incurrunt. hactenus de signi-
ficationibus præcipuis huius vocis iudicij, iam
vnde digressi sumus reuertamur.

Diriget afflictos in iudicio.
hoc est, afflictos sua completetur misericor-
dia, eosq; liberabit. Ita enim solet cum afflictis
suam opem implorantibus agere, id quod se-
quenti versu clarius explicat, cū ait: *Vni-
uersæ viæ Domini misericordia &
Veritas*, hoc est, Deus semper ex misericor-
dia recipit in gratiam afflictos, vt euentus pro-
missioni eius respondeat, quod cū fit, & mise-
ricors & verax in suis promissis esse deprehen-
ditur.

PSALMI XXV.

ditur, atq; ita vt misericordia affectum paternum exprimit. nam vtitur hîc voce Chesed, qua storga paterna significatur, vt supra docuimus: Ita veritas promissionum infallibile complementum notat. Est enim veritas Deû incommutabilis & immota.

Verùm quia multi sua culpa pereunt iusto Dei iudicio, subiungit David modum applicationis misericordiae diuinæ cum inquit: Custodientibus testamentum eius, & testimonia eius. Hanc sententiam beata virgo in suo Cantico expressit hisce verbis: Misericordia eius in omnes ætates timentibus ipsum. & Christus ait: Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, & veritas vos liberabit. Proinde seruare testamentum seu pactum & testimonia Dei, est timere Deum, & manere in veritate, id est, ex fide ipsum Deum colere. Nam testamentum seu pactum Dei est stipulatio inter Deum & hominem, videlicet quòd vt Deus salutem & vitam promittit, atq; adeo recipit hominem in suam tutelam: Ita homo se Deo per fidem committit, atq; illi obedientiam promittit iuxta ipsius mandata: quæ ideò testimonia Dei dicuntur, quia de eius voluntate testantur.

ENARRATIO

stantur. Hæc proinde conditio pacti imprimis observanda est, & rectè distinguenda à conditione legali. Nam legalis conditio impletionè legis exactam & perpetuam requirit. Vnde fit, quòd nemo lege saluari possit. At ea conditio quæ est Euangelij, est fidei gratuite promissionis, cui obedientia noua coniuncta est, quæ est fidei veluti radius quidam. Nam à fide non potest separari Spiritus Christi, qui auctor & effector est nouæ obedientiæ, non illius quidem plenè, quam Lex requirit, sed inchoatè tantùm, quæ placet propter fidem, qua homo iustus consistit coram Deo. Etsi autem vtrumq; simul requiritur à parte hominis, fides & obedientia noua, tamen fide sola nitimur, de qua testimonium fert ipsa obedientia, non ergò pactum de quo loquitur Dauid, est Legis impletio, sed fides à qua obedientia erga Deum manat. Sed de hac re paulò post plura dicemus.

DE MISERICORDIA DEI.

Etsi nemo potest, vt Sapiens testatur, misericordias Domini enarrare, tamen vtilissimum, imò maximè necessarium est, quæ verba Dei nobis de misericordia Dei commendantur cognoscere, cum vt fides nostra habeat quo fulciatur

ciatur in tot tentationum & malorum procel-
lis, tum vt in nobis augeatur erga Deum mise-
ricordiarum gratitudo & obedientia in tota
vita. Vt autem hæc doctrina de misericordia
Dei perspicuè à nobis tradatur, distinctius de
ea dicemus. Nam vt Bernhardus rectè ait,
quod particulatim distinctum fuerit, legitur
dulcius, & melius conseruatur. Sex igitur ve-
luti membra huius doctrinæ ordine tractabi-
mus.

Primo loco repetam definitionem, quæ
erit veluti basis & fundamentum eorum, quæ
sequentur.

Deinde aliquot dicta Scripturæ colli-
gam, quibus misericordia Dei nobis clarè com-
mendatur.

Tertio, figuras seu typos & exempla
eiusdem misericordiæ Dei adiungam, vt dicta
quasi in tabulis picta reddantur dulciora.

Quarto, quàm latè pateat, quidq; effici-
at hæc misericordia dicemus, ne nos Stoica do-
ctrina de particularitate perturbet.

Quinto, verum vsum cognitæ miseri-
cordiæ Dei adijciam, quo nobis tanto bono frui
liceat.

Sexto & vltimo, de abusu detestando
misericordiæ Dei admonebo, vt contineamur

F in ti-

ENARRATIO

In timore Dei, & ne cum prophano mundo tesaurizemus nobis iram.

DE PRIMO.

Deus singulari consilio multarum rerum spiritualium & caelestium imagines quasdam in creaturis pinxerat, ut ipsis aliquo modo deduceremur in cogitationem diuinarum rerum & caelestium. Nam plurima corporalia sunt, quae quadam analogia nos ducunt in adyta sapientiae diuinae. Ita enim placuit optimo Deo nostrae ruditati & infantiae consulere. Sol hic aspectabilis est signum quoddam, & veluti mysterium Solis inuisibilis Iesu Christi. Radij solares bonitatis & misericordiae Dei efficaciam notant, qui spargit in vniuersum orbem suae bonitatis virtutem. Hic ignis visibilis figurat Spiritus sancti efficaciam in cordibus credentium. Coniugium est mysterium arcae copulae Christi & Ecclesiae, & multa sunt alia huiusmodi. Ut igitur suum quoque affectum erga homines Dominus pingeret, aliquo modo indidit humanae naturae quandam huius rei imaginem. Nam sicut illa naturalis, seu intimus amor in visceribus parentum erga liberos, est imago animi seu affectus Patris caelestis erga homines, id quod ipse nomine, facto, & exemplo declarat. Vult

PSALMI XXV.

Vult appellari Deus misericordiarum, vult nominari misericors & miserator. Sic enim de seipso clamat Exod. 34. Iehoua Iehoua fortis, misericors & miserator, tardus ad iram & multus misericordia & veritate. Hic ipse Dominus se rachum & chanum vocat, hoc est, misericordem instar matris erga sobolem, & miseratorem seu beneficium, idq; ex mera gratia sine hominis merito & dignitate, quod est planè munificentiae regiae. Ieremiae 3. Qui misericors sum, ait Iehoua. hinc nomen Chasid ponitur, quo significatur, vt supra dictum est, paterna storga erga prolem. hoc igitur nomen misericors est paternae pietatis erga prolem propria appellatio. Proinde cum in nomine communicat Dominus, non vult à re esse alienus. Deinde factò hunc ipsum affectum comprobatur. Quae enim potest esse maior storga, quàm filium proprium dare pro redimendis nobis, terq; quaterq; miseris hominibus?

Exemplum matris mulieris proponit nobis in Esaia cap. 49: Nunquid obliuiscetur mulier infantis sui, ita vt non misereatur filiis vteri sui, & si illa oblita fuerit, non tamen obliuiscar tui. Hic Dominus misericordiam suam erga homines confert storgae mater-

F 2 na,

6 NARRATIO

na, imò eam multis modis anteposit. Iam ex ijs
quæ dicta sunt definitionem misericordiæ Dei
erga homines extruamus.

Misericordia ergò Dei erga homines est
pius affectus in Deo, quo Deus paternè mun-
dum complectitur propter Filium, quoque ut
parens suam prolem, ita ipse humanum genus
tenerrimè diligit, afficiturq; eius miseria, adeò
ut potius Filium in mortem dari voluerit pro
illo redimendo, quàm ut ipsum in peccatis suis
periret. Huc illud Pauli pertinet: Commendat
Deus erga nos suam charitatem, id est, miseri-
cordiam et paternã storgam, qua nos intimè di-
ligit, quòd cùm adhuc essemus peccatores, Chri-
stus pro nobis mortuus est. huc et illud Iohan-
nis pertinet: Sic Deus dilexit mundũ, ut Fili-
um suum unigenitum daret, ut omnis qui cre-
dit in eum non pereat, sed habeat vitam eter-
nam. Hanc misericordiam, hunc piũ affe-
ctum Dei erga homines Paulus dulcissima vo-
ce *ἡ ἀγαπὴ* expressit, quam Plato defi-
nit esse *ἔξις εὐδὲ γνητικῆς τῶν ἀνθρώπων*, id
est, habitum benefaciendi hominibus. Verũm
cùm hanc Apostolus Deo tribuit, affectionem
illam paternam Dei notat, qua homines prose-
quitur, non propter illorum dignitatem, sed
propter

PSALMI XXV.

propter vnigenitum Filium IESVM CHRI-
STVM, quem constituit propitiatorem, vt lo-
cus foret misericordiae. Iusticia enim Dei non
permittebat fieri reconciliationem sine iusta
compensatione iniuriae. Dedit proinde filium
quo satisfaceret iusticiae, vt locus esset miseri-
cordiae.

DE SECVNDO.

Inter oracula de misericordia Dei pri-
mum occurrit vox Dei ad Mosen Exodi 34.
Et transiens Iehoua ante Mosen clamauit: Ie-
houa, Iehoua, fortis, misericors & miserator,
tardus ad iram, & multus misericordia & ve-
ritate, seruans misericordiam millibus, aufe-
rens iniquitatem et praeuaricationes & pecca-
tum.

Deuterono: 4. Deus misericors est,
Iehoua Deus tuus non derelinquet te, nec di-
spendet te, neq; obliuiscetur pacti patrum tuo-
rum, de quo iurauit illis (scilicet si reuersus
fueris ad Iehouam Deum tuum, & parueris
voci illius)

Deuterono: 7. Scies quod Iehoua De-
us tuus est Deus, Deus fidelis, custodiens pa-
ctum & misericordiam diligentibus se, & cu-
stodientibus praeccepta sua vsque ad mille ge-

ENARRATIO

nerationes. *Ibidem*: Custodiat Iehoua Deus tuus tibi pactum & misericordiam, de qua iuravit Patribus tuis. In Psalmis plurima sunt Encomia misericordiae Dei, ex quibus pauca ascribam.

Psalmo 86. Tu Domine bonus & parcens, & multus misericordia omnibus inuocantibus te. *Ibidem*, Et tu Domine es misericors & clemens, & longus ad iram, & multus misericordia & veritate.

Psal. 103. Misericors & miserator Iehoua, longus ira et multus misericordia. non in seculum contendit, nec in seculum seruat iram, non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis, Quoniam secundum altitudinem caeli super terram roborauit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat oriens ab occidente, distare fecit a nobis praeuaricationes nostras. Quomodo miseratur Pater filiorum, miseretur Iehoua timentium se.

Psal. 117. Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in aeternum.

Psal. 108. Magna est super caelos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.

Psal.

PSALMI XXV.

Psal. 145. Misericors & miserator Dominus, tardus ad iram, & multum misericors. Bonus Dominus omnibus, & miserationes eius super omnia opera eius.

Psal. 136. Longum textitur Encomion misericordiae Dei, in quo Psalmo singuli versus clauduntur hoc hemistichio: quoniam in æternum misericordia eius. Sed quid multis? Totus Psalmorum liber nihil aliud est, quam bonitatis & misericordiae Dei prædicatio.

Esaia 54. Montes commouebuntur, & colles contremiscent. misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meae non commouebitur, dicit miserator tuus Iehoua.

Ibidem: In momento iræ abscondi faciem meam ad momentũ ad te, at in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Iehoua.

Esaia 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, reuertaturq; ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est misericordia ad remittendum.

Iere. 3. Threnorum: Misericordiae Domini sunt, quod non simus consumpti, quia non defecerunt misericordiae eius.

F 4

Item,

ENARRATIO

Item: Nam si dolore affecerit, miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.

Iohelis 2. Conuertimini ad Iehoua Deum vestrum, quia misericors est & miserator, longanimis & multæ misericordiæ, & pœnitet super malum.

Ionæ 4. Scio quod tu Deus clemens & miserator es, paciens & multæ miseracionis.

Breuiter, omnes conciones Prophetarum quibus inuitant homines ad pœnitentiam & conuersionem, sunt Encomia misericordiæ Dei. nam Dei misericordia est fundamentum pœnitentiæ. In nouo testamento sunt hæc inter alia multa.

In Cantico virginis Lucae 2. Misericordia eius in omnes generationes timentibus ipsum.

2. Corinth. 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis.

Ad Eph: 2. Deus diues est in misericordia.

1. Petri 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam

PSALMI XXV.

gnam misericordiam suam regenuit nos in
spem viuam.

Ad Titum 3. Quando benignitas &
εὐλαβία apparuit saluatoris Dei, non ex
operibus iusticiæ quæ fecimus nos, sed secun-
dum suam misericordiam seruauit nos.

DE TERTIO.

Iam figuras & exempla misericordiæ
Dei videamus, quo dicta quæ recitauimus,
tanquam in tabulis expressa conspiciantur.
Nulla enim ratio docendi accommodatior est,
quàm cum dicta de rebus, ceu regulæ accom-
modentur exemplis, & exempla regulis.

Omniū pulcherrima imago affectus
Paterni Dei erga homines Lucæ 15. in para-
bola de prodigo filio nobis proponitur. Qui fi-
lius postquam omnia turpiter dissipasset, ad
Patrem reuertitur, sola bonitatis paternæ co-
gitatione fretus. Existimauit enim se paterna
viscera sua miseria posse permouere ad miseri-
cordiam, quod & factum est. Nam cum ad-
huc abesset longè, vidit eum Pater ipsius, ac mi-
seria motus accurrit, incidit in collum filij, oscu-
latus est eum. Ecce quomodo in Patre miseri-
cordiæ affectus excitatur erga pœnitentem Fi-
lium.

ENARRATIO

lium. Vox Filij pœnitentis concutit paternâ viscera, Filius fatetur se indignum esse, vt pro filio habeatur, rogat vt in numero seruorum censeatur. Sed quid Pater? Iubet primum stolam adferri, mactat vitulum saginatum, chorum congregat, aduocat amicos, facit epulum magnum. Quare? Quia hic Filius meus, inquit, mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Hic Filius prodigus typus est peccatoris, Pater occurrens & eum amplexus imago Dei Patris est, qui non secus afficitur erga pœnitentem peccatorem, quàm Pater optimus erga resipiscentem filium & implorantem gratiam. Hic nulla merita sunt in Filio nisi mortis, quam vt deuitet, ad Patrem confugit. Sic quilibet peccator secum circumfert merita mortis, sed si per pœnitentiam ad clementissimum patrem redierit, vitam inueniet, & redeunti pater occurret, in cuius occursum consolatio est, & in complexu summa clementia & misericordia. Hæc proinde pictura dulcissima est, in qua paternus animus Dei erga homines tanquam in imagine representatur, & commendatur. Pharisei murmurabant, quòd Christus peccatores reciperet & vesceretur cum ijs, Sed Christus hac pictura animum cœlestis Patris declarans, eorum coarguit vanita-

nita-

PSALMI XXV.

nitatem. Iam cum in Deo non sit προσωπο-
 ληψια, nullus quantumuis enormis peccator
 esse potest, qui non recipiatur in gratiam, modo
 ad misericordiam paternam confugerit.

Huic typo persimilis & ille est, de per-
 dita oue, quam nonaginta nouem relictis in de-
 serto pastor quaerit sollicitus, & inuentam im-
 ponit humeris cum gaudio, veniensq; domum
 conuocat amicos & vicinos, ac dicit eis: Con-
 gratulamini mihi, nam inueni ouem, quae peri-
 erat. Dico vobis ait Dominus: Ita gaudium
 erit in caelo super vno peccatore resipiscente.
 Gaudeamus ergo, ait Ambrosius, quoniam
 ouis illa, quae perierat in Adam, leuatur in
 Christo.

Eodem pertinet parabola de drachma
 amissa, quam mulier accensa luce quaerit et su-
 per inuenta laetatur. Mulier haec Deum fi-
 gurat, Lumen accensum praedicationem Euan-
 gelij, Drachma hominem in quo erat imago
 Dei insculpta. Non mediocris, ait Ambrosi-
 us, haec drachma est, in qua Principis est figu-
 ra. Haec figura luto peccati obducta, a Christo
 rursus reparatur in ijs, qui se inueniri permit-
 tunt, id est, qui vocantem Christum, & inui-
 tantem ad poenitentiam audiunt. Sic enim di-

cita

ENARRATIO

*cit: non veni vocatum iustos, sed peccatores ad
pœnitentiam. Item: venite ad me omnes, qui
laboratis & onerati estis, ego reficiam vos.*

*Hisce typis subiiciamus exempla: in-
ter quæ primum locum occupat misericordia
Adamo & Eua exhibita. Hos enim etsi ma-
ximos peccatores, qui proditoriè à Deo suo
creatore defecerunt, Deus ex mera sua miseri-
cordia erexit, data promissione de semine con-
trituro caput Serpentis, quæ sanè misericordia
non pertinet ad solum Adam aut Euam, sed ad
totum genus humanum, Quod vt in Adamo
lapsus est, ita etiam in Christo gratiæ & mi-
sericordiæ promissionem accepit. Huc pertinet
illud Pauli: Conclufit Deus omnia sub pecca-
to, vt omnium misereatur. Hic Apostolus vt
vniuersalem reatum facit, ita etiam vniuer-
salem misericordiam. Nam particula vni-
uersalis & distribuens æquè latè in vtroque
membro accipienda est, vt sciamus Deum mi-
sericordem esse erga omnes, non minus quàm
fuit erga primum parentem nostrum, in quo rei
facti sumus & conclusi sub peccatum. hoc mul-
tis declaratur exemplis. Nulli enim vnquam,
qui veniam peccatorum petiuerunt, passi sunt
repulsam. Si peccatum magnum est, misericor-
dia*

PSALMI XXV.

dia prædicatur magna: si multum, miserationes Dei infinitæ sunt: si antiquum, misericordia Dei ab æterno est: si nouum, nouæ sunt misericordiae Domini quolibet mane. historia vetus & noua infinitis exemplis abundat. David præstantem ciuem nefariè prodidit & vxorem eius nequiter stuprauit, sed confugiens ad misericordiam Dei veniam impetrat.

Manasses post effusum Prophetarum sanguinem, post institutum idolorum turpissimum cultum, & postquam repleuisset totam Ierusalem omni iniquitate, capitur ab hoste, conijcitur in carcerem, in carcere flectit genua sua coram Deo, confugit ad misericordiam, & in gratiam recipitur, quantumuis ipsius peccata superarunt, vt ipse fatetur, arenam maris.

Latro in cruce pendens audit: Hodie mecum eris in Paradiso. Verùm ne prolixior sim in enumeratione exemplorum, verba Bernardi ascribam, qui Filium Dei alloquitur in hunc modum: Omnino propter mansuetudinem, quæ de te prædicatur, currimus post te Domine Iesu, audientes, quòd non spernas pauperem, peccatorem non horreas, non horruisti confitentem Latronem, non lachrymantem
pecca-

ENARRATIO

peccatricem, non Cananeam supplican-
tem, non deprehensam adulterio, non sedentem in telo-
nio, non supplican-tem publicanum, non negan-
tem discipulum, non persecutorem discipulo-
rum Paulum, non ipsos crucifixores tuos. Et
paulò post applicans exempla, addit: Quamob-
rem quisquis pro peccatis compunctus esurit,
& sitit iusticiam, credat in te, qui iustificas
impium, & solam iustificatus per fidem, pacem
habebit ad Deum. hæc ille. Breuiter nullus
vnquam inuentus fuit peccator, cui petenti
gratia negata est. Stat enim firmum & im-
motum hoc principium: Cor contritum & hu-
miliatum Deus non despicias.

DE QVARTO.

Quàm latè pateat misericordia Dei,
quid uè efficiat, dictum esset satis in secundo &
tertio membro, nisi hostes quidam gratiæ rem
in angustum & arctum cogerent. Nolunt enim
gratiam & misericordiam Dei patere omni-
bus, sed quibusdam tantùm destinari. Quid au-
tem his opponendum sit, ubi primùm quid mi-
sericordia Dei efficiat, breuiter & summatim
perstrinxero, monstrabo. Si vno verbo dixero,
misericordia Dei omnia nobis donari, cum quæ
ad præsentem vitam, tum quæ ad futuram glo-
riam

PSALMI XXV.

viam pertinet, rem totam quidem expediam, sed non tam explicatè omnia intelligentur. Veteres Theologi summatim hæc docent: Misericordia Domini, inquit, visitat et inspirat, ut tangamur dolore peccati, ut fugiamus ad misericordiam. Vnde Bernhardus: Visitauit & immutauit cor meum, ut amara fierent, quæ mihi prius erant dulcia. Visitauit me, ut vulnera meorum sentirem peccatorum. Expectat pœnitentiam, iuxta illud ad Rom. 2. An ignoras quòd benignitas Dei te inuitet ad pœnitentiam. Huc illud Bernhardi pertinet: Quàm benigna et suavis misericordia tua, ego peccabam & tu dissimulabas, non continebam me à sceleribus, & tu abstinebas te à verberibus. Sustentat conuersos & eos quasi fulcit, ne prorsus deficient. Psalmus 94. Nisi Dominus auxilium mihi fuisset, breui habitasset in silentio anima mea. Hinc est quòd Theologi quadruplicem modum misericordiæ Dei faciunt: Ut sit inspirans, præueniens, concomitans & subsequens. hæc sanè distinctione modorum misericordiæ Dei, nihil aliud volunt, quàm principium, progressum, medium & consummationem in negotio salutis soli misericordiæ Dei tribuenda esse. Augustinus in hunc modum de effectibus misericordiæ Dei scribit: O fratres

ENARRATIO

eres mei, quid Christum incarnauit nisi misericordia Dei? Quid subiecit nostræ miseriæ, nisi sola clementia? O beata misericordia, quæ sola commercium nostræ salutis agnouit. Sola enim misericordia ad Deum dirigit hominem, sola ad Deum deducit hominem, hæc est sola mediatrix auersos consolans, hæc disiunctos copulat, hæc sola Deum humilians, hominem sublimat. O quàm pia fuit Dei descensio, ut nostræ esset gloriosa assumptio. O grandis misericordia, O infinita, Tu sola potuisti trahere Deum de cælo ad terram, & nos de exilio ad regnum eligere. O magnum misericordiæ vinculum, quo Deus ligari voluit & potuit, & homo ligatus vincula iniquitatis dirumpit. O homo si tuam considerares miseriam & opera Dei erga te, non inuenires nisi misericordiam. Misericordia est si flagellat Deus, ut emendet, si à peccato per tribulationem liberat, si hypocritas & tyrannos regnare permittit. hæc Augustinus. Si quis autem velit exactius videre, quid faciat misericordia Dei, seipsum inspiciat, seipsum examinet, conferat præterita cum præsentibus & præsentia cum præteritis, quod si fecerit, verè dicturus est cum Dauide: misericordia Domini abyssus multa. Item, Misericordia Domini plena est terra.

Porro

PSALMI XXV.

Porro quousq; se extendat misericordia Dei, satis dictum esset, nisi hostibus misericordia Dei esset respondendum. Nos ex verbo Dei affirmamus misericordiam Dei extendere se ad omnes omnium ætatum homines, hoc est, Deum ex mera sua bonitate omnibus offerre gratiam, & velle omnium salutem ex gratuita sua misericordia. Nec vllum hominem ad certam damnationem creasse. immotum enim est, quod dicit Sapiens: Deus non est author mortis, nec virorum interitu delectatur. Verum hic antiquus serpens hostis humani generis Sophistica sua conatur nobis aliud persuadere, & occultè hominibus obijcit desperationis occasionem, cum negat gratiam & misericordiam Dei vniuersalem esse. Sed Diabolicae Sophisticae quatuor opponamus. 1. Missionem Filij in mundum, vt saluaret quod perierat. 2. Promissionem vniuersalem, qua omnibus & singulis offertur gratia & misericordia: Proclamate (ait Dominus) Euangelium omni creature. 3. Mandatum vniuersale, quo omnes & singuli iubentur Christum audire & in eum credere. 4. Obsignationem gratia vniuersalem, quæ gentibus omnibus offertur ex mandato Christi, qui iubet baptizari omnes gentes. Verum quia de his quatuor in commentarijs

G nostris

ENARRATIO

nostris in Epistolam ad Ephe. dictum est capi-
te primo, nolo hic prolixior esse.

Quòd autem multi damnantur, ideò fit,
quia multi non agnoscunt veritatem Dei, mul-
ti dexteram Dei sibi porrectam apprehendere
nolunt, multi vocantem Christum audire recu-
sant. Contemnunt mandatum Dei, abijciunt
gratiam, propter hanc contumaciam iustissimo
Dei iudicio damnantur. Quemadmodum enim
hic sol aspectabilis omnibus lucet, et natura sua
in omnia spargit radios claritatis suæ, sed is ta-
men, qui fugit Solem, vel oculos auertit, aut
cæcus est, lucis Solaris non fit particeps, cuius
culpa? Certè non Solis, qui à nemine retrahit
suos radios, sed sua propria proteruia, qua So-
lem auersatur: ad eundem modum Deus,
apud quem est misericordia & copiosa redem-
ptio, suum verbum in totum mundum emittit,
iubet vt audiant Filium, offert omnibus grati-
am Verbo & Sacramentis. Verùm hic, qui
verbū Dei contemnunt & obedire recusant,
vult in sua contumacia perire iustè, quos ex
misericordia & bonitate saluos voluisset.
Terrenus pater vult ex storga naturali liberos
suos beatos & felices fore, sed cum hac condi-
tione, si boni & probi fuerint, nam contumaces

PSALMI XXV.

& incorrigibiles hereditate excludit. Rex
 mundanus iustus & bonus suos subditos vult
 omnes incolumes & saluos esse, sed per Legis
 suae obseruantiam, iuxta cuius praescriptum
 viuere subditos oportet. Verum si quis petu-
 lantia Regem contempserit, vult eum Rex pe-
 rire, vel de medio tolli, quem alioqui, si legis
 obseruans fuisset, voluisset saluum & feli-
 cem: Sic etiam Deus contemptores sui ver-
 bi iuste punit, quos saluos voluisset, si suo ver-
 bo obtemperassent. Et vt bonus artifex finem
 sui operis ob oculos habet, dum aliquod opus
 molitur, Sed si quod vas fractum fuerit, illud
 abijcit, aut si fieri potest, de nouo facit. Sic &
 Deus fine, creationis hominis intuetur, videli-
 cet vt homo sit templum Dei, illum celebrans.
 Verum si homo Deo non obtemperat, aut abij-
 citur a Deo, aut expectatur poenitentia, qua
 quasi nouus prodit homo. Nemo proinde De-
 um accuset, si perit. Nemo hoc fati tribuat, sed
 potius suo fatuo iudicio ascribat, quo mortem
 anteponebat vitae, & infernum caelo. Et cogitet
 vnusquisque nullum peccatum grauius esse,
 quam Deum inaequalem putare, atq; ideo recu-
 sare poenitentiam & desperare de venia. Ob-
 iectiones aduersariorum non est quod more-

8 NARRATIO

mur, postquam nobis de veritate Dei immo-
ta constat.

DE QUINTO.

Usus doctrinae de misericordia Dei,
etsi multiplex atq; adeò in tota vita eiusq; par-
tibus omnibus perpetuus est, tamen quo nobis
dulcius frui liceat hoc tanto bono, quosdam
usus recitabo, & potissimum quinq;, qui sunt
etiam precipui.

Primus in conuersione peccatoris con-
spicitur.

Secundus in precatione.

Tertius in quotidiana poenitentia.

Quartus, in externa hominum conuer-
satione.

Quintus in agone mortis, in quo anima
anchora quaedam sacra existit, misericordiae
Dei cogitatio.

Primus usus est in conuersione peccato-
ris ad Deum: quae conuersio fieri nullo modo
potest sine misericordiae Dei noticia, quae fun-
damentum est, verae & salutaris conuersionis.
Cum homo accusatur à Lege, propter suam
transgressionem, venit in noticiam peccati: ex
noticia peccati venit in cognitionem iusti iu-
dicij

dicij Dei in peccatores. Ex hac cognitione omnino in desperationem ruit, si solam Legem intueatur. Nam Lex ipsa omnem hominem absq[ue] omni exceptione obligat, vel ad obedientiam, quæ in hac vita impossibilis est, vel ad pœnam, quæ est maledictio, iuxta hanc Legis damnatoriam sententiam: Maledictus omnis, qui non fecerit ea, quæ scripta sunt in Lege Domini.

De conuersione hominis ad Deum per fidem in Christum nihil agit Lex, vt quæ iram & non misericordiam operetur. Opus est igitur noticia misericordiæ Dei ad pœnitentiam seu conuersionem, quæ sanè noticia Euangelij propria est. Nam Euangelium monstrat nobis Christum, in quo nos diligit Pater, ac misericordia planè paterna complectitur. Hoc discrimen inter Legis noticiã & Euangelij clarissimè ostenditur Ezech. 33. vbi populus postquam accusatus est à Propheta propter Legis diuinæ transgressionem, in hanc desperationis vocem erumpit: Iniquitates nostræ & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo viuere poterimus? Dic ad eos, ait Dominus ad Prophetam: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur ac viuat. Hic clarè duo videmus, pri-

ENARRATIO

mum, quod ex Legis doctrina non sit per se initium conuersionis, (sed per accidens) verum desperationis potius. Deinde quod ex noticia voluntatis Dei nolentis mortem peccatoris, sed vitam volentis, initium capiat salutaris conuersio. Simile exemplum videmus in actis Apostolicis capite 2. Postquam enim Petrus longa concione accusasset peccatum Iudaeorum, qui occiderunt Christum, atque eos prima & secunda Tabula reos peregisset, veniunt in cognitionem peccati iustique iudicij Dei, adeo ut compuncti corde in desperationis periculum inciderint, id quod ex ipsorum verbis patet. Dicunt enim Petro & alijs Apostolis: Quid faciemus viri fratres? ac si dicerent: nos ex concione Petri intelligimus nos reos esse, atque adeo nos iuste damnari agnoscimus, nec videmus vllum effugium, quin in damnationis malum incurramus, quid ergo nobis consilij datis? huc usque concione Legis perducti sunt Iudaei. sed quid ad hoc Petrus? μετανοήσατε, inquit, hoc est, paenitentiam agite, seu conuertimini, et baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu in remissionem peccatorum. haec concio longe alia est, quam prior fuit. In priori non facta est paenitentiae & conuersionis mentio, sed postquam in alio Legis corda eorum sunt pulsata, aperi-

tur

PSALMI XXV.

tur illis thesaurus misericordiae, & iubentur
 resipiscere. Nam Christus illis proponitur, in
 quo & Pater placatus est, & recipit in grati-
 am ex misericordia omnes verè pœnitentes seu
 resipiscentes. Breuiter, Vox Legis maledi-
 ctos pronunciat transgressores omnes sine exce-
 ptione. Sed Euangelium restringit Legis
 sententiam, cum inquit, Nisi egeritis pœniten-
 tiam, hoc est, nisi per fidem conuersi fueritis,
 freti bonitate & misericordia Dei propter
 Christum. Hoc discrimen inter prædicationem
 Legis arguentis peccata & prædicationem
 conuersionis obseruatur in omnibus Propheti-
 cis & Apostolicis concionibus. Summa huc
 redit, quòd ex Lege sit noticia peccati, iræ &
 mortis, Ex Euangelio autem noticia iusticiæ,
 gratiæ seu misericordiae & vitæ, sine qua no-
 ticia conuersio inchoari non potest, vel in hunc
 modum: iniquitatum noticia, quæ est ex Legis
 prædicatione, ad compunctionem impellit. Co-
 gnitio autem fœderis (cuius sponsor est Chri-
 stus Dominus) quæ est misericordiae promissæ
 cognitio, ad conuersionem inuitat. Ex hisce
 patet, quem locum Lex in prædicatione conuer-
 sionis habet. non prædicat ipsam conuersionem,
 sed tantum ad conuersionem præparat. Dum
 hominum iniquitatem ponit ob oculos, eisq̄



ENARRATIO

committatur æternas pœnas propter transgressi-
 onẽ Legis diuinæ, iuxta illud Ieremiæ Thre-
 norum 2: Prophetæ tui non aperiebant tibi
peccata tua, vt te ad pœnitentiam prouoca-
rent. Hic videmus apertè distingui Legem &
 conuersionis doctrinã, vt destinatum, et finem.
 Illa iram ostendit vt terrorem incutiat, Hæc
 gratiam proponit, vt à terrore liberet. Vtrumq;
 pulcherrimè pingitur Luc. 15. in Acolasto, hic
 primùm fame magistra sentit suum malum. Ita
 nos Lege magistra intelligimus nostram dam-
 nationem. Deinde spes melioris fortunæ, si ad
 patrem redierit, animũ resipiscenti iuueni de-
 dit. Ita nos cogitatione misericordiæ, quam
 nobis prædicat Euangelium, reuocamur à de-
 speratione ad resipiscentiam. Proinde quemad-
 modum hic iuuenis paterni affectus fiducia, ad
 quærendam conciliationem erigitur: Ita nobis
 conuersionis sit initium oportet diuinæ miseri-
 cordiæ agnitio, quæ nos ad benè sperandum ex-
 citet. Ambrosius: Nemo pœnitentiam agere
 potest, nisi qui sperat indulgentiam. Hanc au-
 tem nemo potest sperare, nisi qui Deum mise-
 ricordẽ esse agnoscit. Augustinus: Non solùm
 cùm agitur pœnitentia, verum etiam cùm
 agatur, Dei misericordia est necessaria. Ex his
 patere

PSALMI XXV.

patere puto, quis sit usus misericordiae Dei in
pœnitentia seu conuersione peccatoris.

Porro quia dicimus misericordiam Dei
causam pœnitentiæ esse, & hanc prædicari in
Euangelio, & non in Lege, sunt qui nostram
sententiam conuellere conantur, affirmantes
legis esse prædicare pœnitentiam, quam Pro-
pheta conuersionem nominant, & non Euan-
gely: Et nituntur hoc potissimum fundamen-
to: Lex accusat peccatum, igitur prædicat
pœnitentiam. Sed falluntur, cum idem putant
esse accusare peccatum, & prædicare pœniten-
tiam. nam hæc differunt, ut destinatum & fi-
nis, ut præparatio necessaria ad rem, & res
ipsa. Lex enim dum accusat peccatum, vul-
nus ostendit & mortem proponit, ut nobis me-
dici manus fiat gratior & acceptior. hoc ex su-
perioribus clarè patet.

Usus varius vocabuli pœnitentiæ di-
sputationi locum fecit, quare ut sine errore re-
spondeamus aduersarijs, usus vocabuli expli-
candus est. Latinum vocabulum pœniten-
tia, & μετανοια Græcum, quo vsi sunt Euan-
gelistæ, multum differunt. Pœnitentiæ
enim vox propriissimè displicentiam facti si-
gnificat, qualis esse potest in omni homine,

G 5

quem

ENARRATIO

quem poenitet sui facti, siue ob turpitudinem eius, siue ob poenam, quae factum iuste comitatur, siue quamcumque aliam ob causam. In hac propria significatione plerumque Doctores Ecclesiae hanc vocem poenitentiae accipiunt, respicientes ad ἔτυμον vocabuli potius, quam ad vocabulum Graecum μετανοια. Etsi autem fateor hanc poenitentiam necessariam esse ad conuersionem, nego tamen ipsam conuersionem in ea sitam esse. Nam potest talis poenitentia etiam esse in impijs, vt in Cain, Iuda & alijs. Hoc poenitentiae genus sola Lex directe & proprie praedicat. Directe & proprie dico, quia Euangelium per accidens peccatum arguit & accusat, vt lux tenebras, virtus vitium, vita mortem, pulchra turpia &c. Lex vero proprie & directe, quod cum negaret Islebius disputans poenitentiam hanc contritionis ex violatione filij (vt loquebatur) praedicandum esse, ipsamque Legem moralem cum ipso Mose ab Ecclesia Dei reijciendam esse, iuste a Luthero & Philippo reprehenditur, vt Legis diuinae contemptor. Quare & Antinomus a Luthero nominatus est. Sciant proinde studiosi in tota illa disputatione Lutheri contra Antinomos poenitentiae vocabulum non pro conuersione, quae μετανοια dicitur,

conferre
— pole
lio.



PSALMI XXV.

tur, & redditur à veteri interprete pœnitentia, accipi, sed pro displicentia facti, quam contritionem vocant. Ceterùm quia hæc pœnitentia contritionis via est ad conuersionem, & preparatio quædam necessaria, placuit Ecclesiasticis scriptoribus per Synechdochen vocabulum vsurpare, vt complectatur pœnitentia, cùm dolorem antecedentem, qui excitatur per Legem, tùm conuersionem ipsam, quæ est fidei per Euangelij prædicationem, & studium nouæ obedientiæ, quod cum conuersione coniunctum est. Non enim potest Spiritus fidei esse sine motibus Spiritualibus, qui sunt inchoatio nouæ obedientiæ. Hinc est, quòd tres partes pœnitentiæ numerent, videlicet, Contritionem, Fidem, & nouam obedientiam.

Contritio ipsa per se sine fide non est bonum opus Deo placens, sed est pœnæ quoddam initium in mente sibi malè conscia, vt in Cain, Iuda & alijs multis. Immotum enim stat hoc principium: Impossibile est Deo placere sine fide. Et quicquid non est ex fide peccatum est. Verùm vbi ad contritionem accesserit spes veniæ seu fides per prædicationē Euangelij, Contritio fit sacrificium Deo gratissimū, iuxta illud; Sacrificiū Deo Spiritus contribulatus, cor

contri-

ENARRATIO

contritum & humiliatum Deus non despicit. Et Esaia. 66: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritum. Et Christus Matth. 5. Beati pauperes spiritu. Cum hac connectione contritionis & fidei seu conuersionis, coniunctum est etiam studium nouæ obedientiæ, iuxta præcepta Decalogi, quod sanè studium placet propter fidem, sine qua nulla vera obedientia inchoari potest, atq; ita Ecclesiastici Doctores sæpè vocabulum pœnitentiæ per Synecdochen accipiunt, ad quam docendam pertinet totum Ecclesiæ ministeriū. nam contritio per Legem excitatur, fides ex auditu Euangelij nascitur, noua obedientia ab vtraq; doctrina dependet, nempe Legis & Euangelij. nam vt Lex docet, quæ opera Deus requirit: Ita Euangelium ostendit quomodo inchoantur & placent.

Tertiò, est & pœnitentia quædam quotidiana & perpetua sanctorum. nam cùm iuxta dictum Sapientis, septies in die cadit iustus & resurgit, opus est quotidiana agnitione peccatorum & fide, qua statuitur remitti peccata. Hinc Hieronymus: Septies in die cadit iustus, Si iustus, quomodo cadit? Si cadit, quomodo iustus? Sed iusti vocabulum non amittit, qui
per

PSALMI XYV.

per pœnitentiã semper resurgit. Huc pertinet oratio Sanctorum: Remitte nobis debita nostra. Sed discernendum est inter peccata, quibus excutitur fides, & cum quibus fides stare potest. Peccata voluntaria & contra conscientiam commissa, fidem omnino extinguunt, & Spiritum sanctum excutiunt, atq; adeo hominem de nouo obligant ad æternas pœnas, nisi rursus conuertatur. Peccata multa ignorantia, quæ à nobis non cogitantibus committuntur, nec Spiritum sanctum excutiunt, nec fidem extinguunt, sed remittuntur sanctis propter Filium. propter hæc peccata opus est perpetua pœnitentia, quæ absoluitur mortificatione & viuificatione, de qua copiosè Paulus disputat Roma. 6.

Μετάνοια, quam non satis apto vocabulo reddunt pœnitentiam, nonnulli rectius respicientiam, non habet nomen propriè à disciplincentia facti, sed à mutatione mentis, quæ est conuersio ad Deum per fidem in Iesum Christum. nam fide sola homo se ad Deum conuertit, & hanc ob causam Iohannes Euangelista, quoties de conuersione agit, utitur vocabulo fidei. Hebræi conuersionis vocabulo vsi sunt, quod congruit cum Græca appellatione, nisi quod vox Græca Μετάνοια clarius explicet conuer-

ENARRATIO

conuersionis formam, videlicet, quod non sit corporis aut pedum reflexus, sed mentis mutatio, scilicet per fidem in gratuitam promissionem remissionis peccatorum, atque ideo dicuntur Euangelistæ prædicare pœnitentiam in remissionem peccatorum. Et Christus ait: Oportet in nomine meo prædicari μετ' ἁπολας, hoc est, conuersionem, & remissionem peccatorum omnibus gentibus, atque ita μετ' ἁπολα seu conuersio & remissio peccatorum coniuncta sunt, vt sciatur vtrumque, & quod offerat Euangelium, & quoniam capaces sint beneficiorum Euangelij. Forma igitur pœnitentiæ salutaris cum sit conuersio per fidem, rectissime & propriissime definitur Euangelium esse vniuersalis prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum. Qui autem contendunt prædicationem pœnitentiæ, quæ est conuersio per fidem, ad Legem referendam esse, tollunt præcipuam consolationem Euangelij, videlicet, quod Euangelium concionetur de vniuersali gratia & misericordia Dei, cuius omnes pœnitentes, hoc est, conuersi verè redduntur participes. Nam cum dicit Christus: Oportet in nomine meo prædicari μετ' ἁπολας & remissionem peccatorum in omnes gentes, summa
conso-

12 di...
3 a e r
g m p r
et q d b r

T S A L M I X X V.

consolatio proponitur in particula vniuersali
 & distributiuâ, siquidem cum omnibus man-
 dat prædicari in nomine suo pœnitentiam, of-
 fert omnibus remissionem peccatorum, cum
 qua coniuncta est iustificatio, donatio Spiritus
 sancti, & inchoatio vitæ æternæ.

Quod autem quidam affirmant μετὰ
 τοῦ αὐτοῦ aliquando significare displicentiam fa-
 cti, qualis esse potest in impijs, id non nego, sed
 tantum eius propriam significationem defen-
 do, quæ est in Euangelicis historijs, & in actis
 Apostolicis, qua Apostoli reddiderunt vo-
 cem Hebraicam Thescuba, id est, conuersio-
 nem.

Ex his constare puto verissimum esse
 quod proposuimus, videlicet, quod misericor-
 dia sit fundamentum pœnitentiæ seu conuer-
 sionis. Deinde, quod immota sit definitio
 Euangelij, cum definitur esse vniuersalis præ-
 dicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum
 in nomine CHRISTI. Præterea quod
 Legi Dei tribuendus sit locus & ante con-
 uersionem, vt homo præparetur, vt Iere-
 mias loquitur, ad pœnitentiam: & post
 conuersionem, vt sit norma reguæ vitæ &
 obedi-

Dr. hae.
 de hui
 Dissertat
 v. c. v. r. v.
 v. l. v. o.
 locob.
 A. d. d. v. v.
 lib. v. d.
 v. i. t. h. a. m. b. u. r. g. e. n. s. i. s.
 S. a. x. o. n. i. c. u. s. v. o. l. u. m. v. i. d. e. o.
 fol. 80. q. d. s. i. g. n. i. f. i. c. a. t. i. o. n. e. m.

ENARRATIO

obedientiae Dei ex fide praestanda. Damnamus igitur Antinomus, qui Legis praedicationi in Ecclesia nullum locum relinquunt.

Secundus usus cognitae misericordiae Dei in orationibus sanctorum locum habet, nullus enim unquam orare Deum recte potest, nisi qui statuit Deum misericordem esse, & placatum propter Filium: Per hunc enim ut patres veteris Testamenti, ita & nos habemus accessum ad Patrem. Hoc ipsum Dominus indicat, in forma precandi, quam suis commendavit discipulis. ita enim iubet, ut dicamus: Pater noster, qui es in caelis &c. haec paterna compellatio misericordiae Dei est confessio, quae inter precandum nitimur, & simul includit fiduciam Mediatoris. Exempla plurima in scripturis se offerunt. David in plerisque Psalmis fidem suam erigit fiducia misericordiae, & ut alios locos omittam, ita precatur in Psalmo 51. Misere mei Deus, secundum misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Salomon orans pro sapientia impetranda, ita incipit, Sapientiae 9: Deus patrum ac Domine misericordiae. Daniel capite 9: Obsecro Domine Deus magne & terribilis, custodiens pa-

ctum

ANARRATIO

verè orare possunt, etiamsi longissimis precationibus & crebris se fatigant.

Tertius vsus cognitæ misericordiæ Dei in quotidiana pœnitentia sentitur. Nam cum sancti, quæ est infirmitas carnis, quotidie labuntur, quotidiana indulgentia opus habent. Hæc autem in sola misericordia propter Christum quærenda est. Multum delinquimus propter ignorantiam, multum per negligentiam, multum per infirmitatem, neque est qui se immunem & tutum à peccato ad momentum oculi statuere possit, à quo resurgere non valeamus, nisi Deus ipse Pater misericordiarum ex bonitate suam porrexerit dextram. De hac re pulchrè scribit Augustinus, cuius hæc sunt verba: Domine confiteor vt docuisti me, nihil aliud sum, quàm vniuersa vanitas, & umbra mortis, & abyssus quædam tenebrosa, & terra inanis & vacua, quæ sine tua benedictione non germinat, fructum quoque non facit, nisi confusionem, peccatum, & mortem, Si quid boni vnquam habui, à te recepi, quicquid boni habeo, tuum est, vel à te habeo. Si quando steti, per te steti. Si quando cecidi, per me cecidi, & semper in luto iacuisssem, nisi tu me erexisses, semper cæcus fuisssem, nisi tu me illuminasses.

masses, quando cecidi, nunquam surrexisssem, nisi tu mihi manum porrexisses. Postquam etiam me erexisti, semper cecidisssem, nisi tu me sustinuisses, saepius perissem, nisi tu me gubernasses. Sic semper Domine, sic semper gratia tua & misericordia tua praevenerit me, liberans me ab omnibus malis, saluans à praeteritis, suscitans à praesentibus, & muniens à futuris, praecedens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas, quia nisi tu & hoc mihi fecisses, omnia mundi peccata fecissem, quoniam scio Domine, quòd nullum peccatum est, quod vnquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo. Haec Augustini confessio satis luculenter ostendit, quàm sit necessaria cogitatio immensae misericordiae Dei propter Christum, in quotidiana sanctorum poenitentia. Quociescunque igitur sentimus infirmitatem nostram & faciles in peccata lapsus, cogitemus & praedicemus misericordiam Dei, qui semper paratus est ad ignoscendum, qui nemini claudit viscera misericordiae suae, modò ad misericordiam confugerimus in vero timore & perfecto corde, sine hypocrisi adferentes pium & sanctum propositum de cauendis in posterum peccatis contra conscientiam.

H. 2

Quar.

ENARRATIO

Quartus vsus cognita misericordia Dei in imitatione positus est, & conspicitur in externa hominum conuersatione. Nam hæc, quomodo agendum sit cum proximis nostris, nos monet. De qua re Christus Dominus nobis hanc regulam tradidit: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Et alibi: Diligite vos inuicem, sicut ego dilexi vos. Augustinus: O si diligenter consideremus misericordiã Dei in nobis, habemus miserendi formam. Et paulò post: Studeamus igitur fratres, dum viuimus, misericordiam rapere. Cibetur à nobis esuriens, vestiatur à nobis nudus, recipiatur à nobis peregrinus, consoletur per nos pupillus, visitetur à nobis infirmus, sepeliatur à nobis defunctus. ista enim sunt opera misericordiae, de quibus interrogari debemus in die nouissimo. Bernhardus: Ille offert sacrificium, qui facit misericordiã. Qui in alterum misericors non fuerit, non potest inuenire misericordiam. Breuiter cum Deus Pater vult suos filios se imitari, nemo potest de Deo Patre gloriari, nisi qui Patris misericordiam conatur imitari. Hoc autem vt valeamus, indigemus misericordia, qua in nobis per spiritum suum excitet Deus pietatis & misericordiae erga proximum aculeos.

Quintus

PSALMI XXV.

Quintus vsus & postremus cognita
misericordiae Dei in agone mortis conspicitur.
nam cum nec medici manus, nec amicorum
opera ad iuuandum est idonea, sola Dei mi-
sericordia reliqua est, tanquam anchora sa-
cra, hanc cum fidelis mittit in tentationis ma-
re, solatium experitur ineffabile. hanc enim
opponit omni tentationum generi, hanc morti
objicit, hac fretus Diabolo & inferno insul-
tat, adeo ut iam exhalaturus animam non du-
bitet cum sancto Iob dicere, Scio quod Redem-
ptor meus viuit, & in nouissimo die resur-
gam, & cum Dauide: Non timebo millia ho-
stium circumdantium me.

Quaquam autem mors ipsa per se
horrenda est, & ipsissima peccati imago, ta-
men ijs omnibus, qui fidem Christi habent, verè
est preciosa, cum quia illius aculeus per mortem
Christi est retusus, ut somnus potius, quam
mors iudicetur, tum quia est finis erumna-
rum praesentis vitae. Bernhardus dicit, quod
vita & causa mortem preciosam reddant. Fi-
nis enim vitae benè actae non potest nisi esse
gloriosus. Causa quoque mortis aestimanda est.
nam si quis pro defensione veritatis mori-
tur, ut multi martyres fecerunt, verè mors

H 3 ipsius

8 NARRATIO

ipsius preciosa est, qua veritas Dei quodammodo obsignatur.

Memini quondam nobilem matronam, cum iam videretur morti vicina esse, astantibus et lugentibus dixisse, iam ego magis, quam ante unquam gaudeo. Mox enim futurum est, ut victa morte conspectu Iesu saluatoris mei fruatur. Cum autem astantes mirarentur fortitudinem animi, quaedam matrona subiecit, qui fit, quod tu mortem non metuas? quam filius Dei adeo exhorruit, quod sanguineas guttas sudauerit? cui illa veluti triumphans respondit: Quod filius Dei saluator meus Iesus Christus exhorruerit mortem, profecto mirum non est. nam totius mundi peccata in se receperat, iram Dei sustinuit, & tanquam reus omnium peccatorum penas luit: Ego autem cum ex misericordia Dei remissionem peccatorum habeam, & vestita sum Christi iusticia, quid timebo? Christus meus est victor mortis, quomodo ego succumberem? Huiusmodi $\pi\lambda\eta\rho\phi\omega\rho\varsigma$ in media concipitur morte, ex cogitatione misericordiae Dei propter Christum. Est autem haec ars moriendi optima. Qui enim ita moritur, non gustat mortem, sed ut Christus dicit, transit de morte ad vitam. Hanc ar-

tem

PSALMI XXV.

tem meditari oportet per totam vitam, ut cum res postulauerit, tanquam Gigas inuictus te morti opponas, non tua tamen fretus potentia, sed potentia Christi, qui victor est mortis, non pro se tantum, sed pro toto corpore, hoc est, pro omnibus ijs, qui Christo per fidem inseruntur.

DE SEXTO.

Duo sunt præcipua vitia securorum hominum, qui viuunt prout affectibus rapiuntur. Vnum diffidentia, Alterum temeritatis seu audacia: Diffidentia, qua Deum mendacij quodammodo accusant, exclusi sunt à familia Dei. Temeritate, qua Deum securè contemnunt, ruunt præcipientes in quæuis scelera tanquam phrenetici: utroq; vicio intercluditur via ad veram sapientiam, quæ primus gradus vitæ est. Dicit enim Sapiens: In animam κακότητος non intrabit sapientia. Sapientia autem hæc constat recto intellectu de rebus salutis, & motu cordis congruente cum intellectu affectuque ad Deum colendum iuxta ipsius præcepta. Etsi autem huiusmodi homines sæpius verbo Dei admonentur, alijsque rebus, ut resipiscant, manent tamen plerique in sua diffidentia

H 4

pertin

SNARRATI

*pertinaces & temeritate sua Deum grauissi-
 me tentant, prorogantes tempus, quo resipisce-
 re sibi proponunt, stultè freti misericordia,
 quam superbè contemnunt. Putant enim satis
 esse, si extremum halitum pœnitentiæ agenda
 reseruarint. Hunc misericordiæ Dei abusum
 grauitè taxat Syracides hisce verbis: Ne di-
 cas, misericordia Dei plurima est, multitudinè
 peccatorum meorum mihi ignoscit. tam enim
 ira, quàm misericordia à Deo properabit, ac
 super sceleratos furor eius requiescit. Ne igitur
 differas conuerti ad Deum, subito enim
 ira Domini erumpit, & cum securus eris, pro-
 fligaberis, atq; in tempore ultionis peribis, &
 rursus: Si peccasti fili, ne pergas peccare, sed
 pro delictis commissis deprecare, tanquàm
 à conspectu serpentis fuge peccatum, nam si
 propius accesseris, mordebit te. Quàm pericu-
 losa & perniciosa sit peccandi consuetudo ac
 continuatio comparatione ostendit Sapiens:
 Comparat enim peccatū venenatissimo serpen-
 ti. Nam vt huius morsus perniciem solùm ad-
 ferre potest, ita morsus siue aculeus mortis est
 ipsum peccatum. Hortatur igitur Sapiens ad
 pœnitentiam, videlicet vt à perpetratis pecca-
 tis abstinemus, & in posterum nobis cauea-
 mus à peccato. Cum his congruit admonitio*

Augu.

Augustini, qui in libro de salutaribus documentis inter cætera scribit, in hunc modum: Clementissimus Dominus confugientibus ad pœnitentiam ignoscit, sed ne de misericordia tamen securi existamus, vt peccatis peccata augeamus, neque dicamus, donec viget ætas carnis nostræ concupiscentias exerceamus, & postremò in senectute, malorum pœnitentiam agamus. Pius enim est Dominus et misericors, nec vltra facinorum nostrorum recordabitur. Ibidem alibi: Sperando decipitur, qui dicit: Bonus est Dominus, misericors est Deus, faciam quod mihi placet, quod libet, laxem habeas, cupiditatibusq; meis impleam desideria animæ meæ: Quare hoc? quia misericors est Deus, mansuetus est Deus. Et rursus immitit Diabolus securitatem, vt inferat perditionem, neque denumerari possint quantos hæc inanis spei vmbra deceperit. Et rursus, fratres, quando habemus tempus misericordiæ, non nobis blandiamur, nõ nos demittamus, non dicamus, semper parcit Deus, ecce feci heri, & pepercit Deus, facio & hodie, & parcit Deus, faciam & cras, & parcat Deus. Attendis ad misericordiam & non times iudicium, si vis cantare misericordiam, iudicium intellige,

ENARRATIO

quia ideo parcit, ut corrigas, non ut in malignitate permanear.

Cæterum ne in nostram perniciem cum plerisque abutamur & nos Dei misericordia, ac nobis thesaurizemus iram in die iræ, nonnulla argumenta colligam, quæ nos ab abusu misericordie Dei reuocabunt, quæ nos continebunt in timore Dei, & quæ nos ad pœnitentiam veram maturandam inuitabunt.

Primum, incertus vitæ terminus. nemo enim nouit qua hora, quo momento, aut quo modo sit sibi hinc migrandum: Hæc incertitudo merito nos ad maturandam pœnitentiam excitare deberet. Christus hortaturus discipulos ad vigilantiam, hinc petit argumentum cum ait: *Vigilate & orate, quia nescitis neque horam neque diem.* Et Luca 12. proponit Dominus parabolam de diuite securo & procrastinante pœnitentiam: hominis, inquit, cuiusdam diuitis vberiores fructus ager attulit, itaque cogitabat apud se dicens: *Quid faciam quòd non habeam, quo congregem fructus meos?* Et dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora ædificabo, atque illuc congreg-

PSALMI XXV.

Gregabo fructus meos, & bona mea, & di-
 cam animæ meæ: Anima habes multa bona
 reposita in annos multos, requiesce, comede,
 bibe, oblectare: Dixit autem ei Deus: O stul-
 te, hac nocte repetam animam tuam abs te,
 quæ verò parasti cuius erunt? Ita est, qui
 thesaurizat sibi, nec est in Deo diues. Hinc
 postea infert Dominus, quin potius querite
 regnum Dei &c. Item: Beati serui, post-
 quam venerit Dominus inuenit eos vigilan-
 tes. Item: Estote parati, quia qua hora non
 putatis, Filius hominis veniet. Et Augu-
 stinus ait: Largitur tibi Deus spacium cor-
 rectionis, sed tu plus amas dilationem, quam
 emendationem, expectas, & de misericordia
 Dei tibi plurima polliceris, quasi ille, qui ti-
 bi per pœnitentiam promisit salutem, promi-
 serit tibi longam vitam, vnde scis quid pa-
 riat crastinus dies? Rectè dicis in corde
 tuo, cum me correxero, Deus mihi omnia
 peccata mea dimittet. Negare non pos-
 sumus quòd correctis ac conuersis Deus in-
 dulgentiam promisit. Nam in quo Prophe-
 ta mihi legis, quia promisit Deus corre-
 cto indulgentiam, num mihi legis, quia pro-
 misit tibi longam vitam? Hæc promide
 incer-

S N A R R A T I O

incertitudo termini vitæ nos admoneat maturandæ pœnitentiæ, ne citius opinione nostra impingamus (vt Ieremias loquitur) ad montes caliginosos, atque ita obruamur iusto Dei iudicio. Multi fuerunt, qui sperauerunt se vitam prorogare posse ad senectutem, sed in medio senectutis flore occubuerunt: Multi quietum finem vitæ expectarunt, sed in exilio perierunt. Multi ex notis et amicis proposuerunt sibi solatia in agone mortis, sed inter hostes miserè perierunt. Multi polliciti sunt sibi tempus, quo in lecto decumbentes ingemescerent & resipiscerent, sed subito ex hac vita erepti sunt. Seneca pulcherrimè monet, cum ait: Noli huic tranquillitati confidere, momento mare euertitur, & eodem die, ubi luserunt nauigia, sorbentur. Breuiter: Cum nemo sciat, num spiritum per nares emissum reuocare possit, stultissimè agunt, qui cum contumelia Dei procrastinant pœnitentiam, ac si temporis momenta in suis haberent manibus.

Secundum, thesaurus plurimorum scelerum, iræ Dei, & pœnarum perniciosissimus procrastinatione pœnitentiæ colligitur. Vnde Paulus Rom. 2: Secundum duritiem tuam & cor pœnitere nescium, thesaurizas tibi iram
in die

PSALMI XXV.

in die iræ. Peccatum enim, quod per pœnitentiam non opprimitur, mox suo pondere in aliud trahit, de hoc rursus in aliud, donec immensus peccatorum cumulus construatur, & vt pessima radix non euulsa è terra perpetuò crescit & magis germinat: Ita etiam peccatum, cum ei indulges, vires nouas quotidie acquirit, donec maximum peccatorum diluuium superuenerit. Nam qui hoc pacto misericordia Dei abutitur, in Deum est iniquus, vt qui Diabolo statuit longiore tempore seruire, quàm Deo, Angelos offendit. Nam vt hi gaudent de impiorum pœnitentia, ita haud dubiè tristantur de illorum impœnitentia. Dolent enim quòd tam nobilis creatura Dei suapte sit peritura culpa. In seipsum crudelis est, vult enim potius esse malus quàm bonus, vel potius esse infirmus quàm sanus, vel seruus potius esse Sathanæ, quàm libertus Christi, vel potius pauper esse, quàm diues. Breuiter: vult potius perire quàm saluari, qua sanè crudelitate nulla alia maior esse potest. Taceo quòd in creaturis Dei sit iniurius, vnde Paulus dicit, creaturam ingemiscere, quòd se abutantur impij. Oedipus intellecto incestu cum propria matre commisso sibi ipsi oculos eruit, vt vel isto pacto fugeret conspectum Solis, qui inspector fuit tanti sceleris.

ris.

E N A R R A T I O

vis. Cur infinita animalia perierunt in dilu-
uio? Nonne propter peccata hominum? an
non maledicta pronunciatum tota terra propter
peccata primorum parentum? Non secus ho-
die iniuria fit maxima creaturis Dei ab ijs o-
mnibus, qui illis vtuntur, non in gloriam crea-
toris, sed ad propriam libidinem explendam.

Tertium, ab alienatio mentis à Deo
& finalis induratio: Nam quò diutius differ-
tur pœnitentia, eò redditur difficilior. Nam
vt in morbo corporis se res habet: Ita & in
morbo animæ, qui est peccatum: Quò enim dif-
fertur medicina corporis diutius, eò fit morbus
periculosior & difficilior curatur. Imò in-
terdum ex diuturnitate incurabilis euadit.
Ita morbus animæ paulatim crescit vt cancer,
donec totum hominem occupauerit. Siquidem
postquam consuetudine peccandi anima cal-
lum induxit, veluti cancro quodam corripitur,
ex quo fit vt paulatim malum serpat, donec
interitum adferat. Huc illud Iob pertinet:
Ossa eius implebuntur vicijs adolescentiæ suæ,
& cum eo in puluere dormient. Et illud Salo-
monis: Adolescens ambulans iuxta viam su-
am etiam cum senuerit non recedet ab ea. Et
illud Ieremiæ, Si mutare potest Æthiops pelle
suam

suam, & pardus maculas suas, vos etiam potestis benefacere cum feceritis malum. Huc congruit Iuuenalis versiculus: Consuetudo mali tenet insanabile vulnus. Consuetudo enim diuturna altera fit natura, unde fit ut multi peccandi consuetudine quandam peccandi necessitatem sibi accersant. Hoc igitur malum, hoc periculum indurationis merito nos commouere ad maturandam poenitentiam debet.

Quartum, conscientia mala, qua nihil grauius, nihil tristius, nihil miserius. Hanc testem suorum scelerum coguntur secum circumferre, qui peccati ceno oblectantur. De conscientia malo patres in hanc sententiam loquuntur: Formidolosa res est improbitas proprio teste conuicta, haec compressa conscientia semper malum praesagit. Nam ut Bernardus ait: Mala conscientia debitorum nostrorum ipsa testis est, ipsa iudex, ipsa tortor, ipsa accusat, ipsa iudicat, ipsa punit, ipsa damnat. Haec etiamsi ad tempus resecta fuerit tanquam cauterio, tamen aliquando prodibit, & si non antea saltem in agone mortis instar mille testium astabit, accusabit, damnabit, puniet. Est siquidem conscientia mala diuinum quoddam testimonium

ENARRATIO

monium animis hominum impressum de futuro
in contumaces iudicio, & de pœnis, quas iuste
luent contumaces.

Quintum, scandalum, & reatus alieni
peccati. Est autem in scandalo duplex malum,
videlicet factum & exemplum. Vt factum per
se violatur Lex Dei, ita exemplo proximus
læditur propter imitationem. Hinc illud, *Ἐπιφθύνει*
ἡ πόλις ἐπὶ φθύνῃ Christi, vae homini per
quem scandalum venit. Et rursus, qui offen-
derit vnum ex paruis istis, qui in me credunt,
præstiterit illi, vt suspendatur mola asinaria
in collum eius, & demergatur in profundum
maris. Paulus pronunciat in Christum pecca-
re & perdere infirmos fratres, qui adiaphoris
cum scandalo vtitur. Quid sentiendum de eo
est, qui vel erronea doctrina, vel improba vi-
ta multos in perniciem adducit? quòd tanta
grassentur scelera in mundo hodie, an non inde
prouenit, quòd vnus putet sibi licere, quod vi-
det alium facere? quem mox alius imitatur,
& hunc alius, donec scabie vnius membri, to-
tum corpus ferè Ecclesiæ infectum deforma-
tur.

Sextum, priuatio bonorum, quorum so-
li sancti in Ecclesia sunt participes, donec enim
homo

PSALMI XXV.

homo sine pœnitentia viuit, gaudio Spiritus sancti caret, conscientia pace destituitur, consolationibus Spiritualibus priuatur: Breuiter, communium Ecclesie honorum nequam particeps esse potest, quicumq; sciens & volens ruit contra conscientiam.

Septimum, delitiæ Sathanae. Quemadmodum enim Angeli in cœlo gaudent super hominem agentem pœnitentiam: Sic Sathanas summis delitijs, & veluti iucundissimis voluptatibus perfunditur, cum homines, praesertim eos, qui Christo dederunt nomina, videat sine pœnitentia viuere. Sunt enim peccata hominum, vt quidam ex Patribus ait: *ἔνωχία φάυλων δαιμόνων.*

Octauum, cogitatio tragicorum exemplorum plurimorum hominum, qui à Deo ob contumaciam sunt abiecti in aeternas pœnas, in quorum numero sunt, Cain, Pharaon, Saul, Achitophel, Iudas, Iulianus & infiniti alij. Deterreant, inquit Augustinus, quaso vos ab hac persuasione innumerabiles populi, subtili securitate nudi & vacui bonis, & malis pleni ex hac luce prærepti.

I Nonum

ENARRATIO

Nonum, Cogitatio etiam hæc animum subeat, quòd pœnitentia sit non tam opus hominis, quàm donũ Dei: Quod si contempseris dum à Deo tibi offertur, metuendum est, ut suas margaritas sæpius suis obijciat.

Decimum, Conditio seræ pœnitentiæ. dici enim rectè solet: Sera pœnitentia raro vera: Nequaquam enim is pœnitentiam agere censendus est, qui postquam peccare non potest, pœnitentiam simulat. Et Augustinus ait: Pœnitentia, quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur.

Has decem rationes colligere placuit, quarum cogitatio nos retinebit in timore Dei, ne abutamur misericordiæ Dei magnitudine, in nostram propriam perniciem. Maturemus igitur pœnitentiam, dum adhuc integra valetudine sumus, demus Deo gloriam antequàm tenebrescat, & antequàm offendant pedes nostri ad montes caliginosos.

LOCI TERTIÆ PARTIS Psalmi.

1. Deus cum sit bonus, nullius mali est author, sed omnis potius fons boni & origo.
Deus

PSALMI XXV.

2. Deus cum sit rectus, non προσωποληψια est, sed æqualis omnibus, iuxta regulam decreti sui.

3. Dei proprium est afflictis opem ferre, atq; errantibus viam monstrare salutis.

4. Deus ut misericors est, ita et veras promissa seruans iuxta pacti conditionem.

QUARTA PARS
PSALMI.

II PROPTER nomen tuum Domine propiciaberis peccato meo, quoniam multum est.

Hic versus quartam huius Psalmi partem continet, quæ est repetitio petitionis veniæ, et remissionis peccatorum. Quæ ideo adhibetur, ut precantis affectus, fidesq; magis accendatur.

In hac precatone duo sunt obseruanda. Primum, precatone forma. Secundum, ratio propositionis duplex. Precatone forma est, propiciare peccato meo, seu condona mihi peccata mea. Conuenit

I 2 prorsus

ENARRATIO

prorsus hæc forma cum ea, quam Dominus nobis commendat Matth. 6: Remitte nobis debita nostra. Et cum prece Publicani: Deus propitius esto mihi peccatori.

In hac propitiatione plura sunt spectanda, videlicet, figura, veritas, fides, & quæ cum fide remissionis peccatorum coniuncta sunt.

Figura huius remissionis fuerunt omnia sacrificia diuinitus in Lege Dei ordinata, & præcipuè ea, quæ propiciatoria nominabantur propter significationem. Hæc figura docet nullum peccatum esse, quod non remittatur, modò propiciatio peccati petatur. Nam sacrificia expiatoria omnis generis peccatorum ordinata erant in Lege Mosis.

Veritas est Christi victima, quæ efficax est ad expianda omnia peccata quantumuis enormia. Ita enim Iohannes ait: Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Non est igitur quod quis vllum peccatum inexpiabile putet, cuius condonatio petitur.

Fides remissionis peccatorum accipit petitam condonationem. Est autem hæc fides
noti-

PSALMI XXV.

noticia, expetitia, & fiducia promissæ misericordiæ & veniæ propter Christum. Et est conuersionis seu salutaris pœnitentiæ forma, quam præcedit peccati agnitio & contritio, quemadmodum supra copiosè declaratum est.

Cum fide remissionis peccatorum coniuncta sunt gratia & donum. Gratia est ipsa iustificatio, hoc est, credentis personæ absolutio à peccato, imputatio iusticiæ Christi, & acceptatio gratuita ad vitam æternam. De hac gratia loquitur sanctus Paulus Rom. 5: Gratia ex multis delictis in iustificationem. Donum est ipsa donatio Spiritus sancti, qua homo iustificatus regeneratur seu sanctificatur, hoc est, mortificatur & viuificatur, vt porrò sit noua creatura, viuatq; iuxta voluntatem Dei: Seu vt alibi loquitur Scriptura, vt timeat Deum. Hic enim finis propitiationis assignatur Psalmo 130. vbi ita dicitur: apud te propitiatio est, vt timearis.

Rationibus duabus propositio fulcitur, quarum vna præcedit, altera sequitur. Prior est, Propter nomen tuum Domine. Hoc nomen, vt includit aliquid, ita

I 3 etiam

etiam aliquid excludit, includit tres causas remissionis peccatorum, quarum prima est, impulsiva, videlicet promissio gratuita. Promisit enim Deus veniam peccatorum omnibus ad gratiam confugientibus. Hanc promissionem nunquam reuocabit, quia verax est & constans in suis promissis. Secunda causa est efficiens, videlicet bonitas & misericordia. Nam cum bonus sit, benefacere non cessat, & cum sit misericors, tangitur reuera nostra calamitate, & iuxta promissiones lapsis manum porrigit. Tertia causa est finis, isq; duplex: prior gloria Dei. Prædicatur enim bonitas Dei recipientis peccatores in gratiam, & ab Angelis bonis & ab hominibus. Posterior, ut iustificetur in sermonibus suis, & vincat cum iudicetur, hoc est, ut prædicetur ipsius veritas, quod seruat promissa, & verè exaudiat, recipiat, liberet inuocantes. Excludit hæc ratio omnia humana ἐνδρυήματα & παθήματα à causis remissionis peccatorum. Nam cum propter nomen suum Dominus peccata remittit, sequitur profectò nos nec meritis nostris, nec operibus, nec passionibus remissionem mereri. Posterior ratio his verbis exprimitur: Quoniã multum est. Mirabilis sanè videtur hæc ratio: igno-

PSALMI XXV.

ignosce inquit, peccato meo: Quare? quia multum est, ubi enim multitudo peccatorum, ibi requiritur etiam copiosa misericordia. Gratia enim, ut Paulus loquitur, exuperat peccatum. Nemo igitur desperet ob peccatorum suorum multitudinem, sed confiteatur Deo serio corde peccata sua, & speret in Domino, apud quem est misericordia & copiosa redemptio.

LOCI HVIVS PARTIS
Psalmi.

1 Quòd sine humanis meritis fiat peccati remissio propter promissionem Dei, bonitatem & gloriam.

2 Quòd peccati confessio coram Deo requiratur ab eo, qui petiturus est veniam.

QVINTA PARS
PSALMI.

12 QVis est homo, qui timet Dominum? Docebit eum viam, quam eligat.

13 Anima eius in bonis commorabitur, & Semen eius hereditabit terram.

14 Secretum Domini timentibus
eum, & testamentum suum ma-
nifestabit illis.

HÆc pars Psalmi continet descriptionem
felicis eorum, qui timent Deum, &
vera religione colunt. Hæc descriptio affe-
ctibus excitandis destinatur. Orditur autem
David hanc descriptionem ab admiratione
per exclamationem & interrogationem: quis
est, inquit, homo qui timet Iehoua? Quasi di-
ceret: O quàm felix est iste homo, O quàm
beatus est qui Dominum timet, & eum reli-
giosè colit. Dum enim nos ipsos intuemur, ex-
tremè miseri sumus propter peccata, sed cùm
propiciatorem aspicimus, Deum timentes à
peccatis liberamur, & omni felicitatis gene-
re donamur.

Admirationi huic subiicit quatuor
genera fœlicitatis eorum qui timent Deum,
quæ sunt, vera sapientia, læticia spiritualis,
benedictio seminis seu posteritatis, & myste-
riorum Dei, & pacti diuini viuus in corde
sensus. De his vbi nonnulla dixero, de timore
Dei plenam instructionem ascribam.

Docebit

Docebit eum viā quam eligat.

Hæc prima pars felicitatis timentium Deum est. Deus timentem se vera ornabit sapientia, atque hoc est quod David alibi, & Salomon post illum ait, Initium sapientiæ timor Domini. Quanta sit autem huius sapientiæ vis, Syracides ostendit cum sapientiam introducit, loquentem hisce verbis: ἐγὼ μητρὶς τῆς ἀγαπῆσεως καλῆς καὶ φόβου καὶ γνώσεως καὶ ὀσίου ἐλπίδ'.

Anima eius in bonis morabitur.

Secunda felicitatis pars timentium Deum, spiritualis quædā læticia eaq; perpetua (Morandi enim vocabulo constantia & perpetuitas significatur) hæc læticia est pax conscientia, gaudium Spiritus sancti, & alij iucundi motus excitati in corde per Spiritum sanctum, qui sunt quidam gustus æternorum bonorum, quibus fruemur in æterna vita, & sunt veluti artha quædam, quæ Deus nos donat in certitudinem promissæ hæreditatis.

Et Semen eius hereditabit

terram. Hæc est tertia pars felicitatis timentium Deum, de posteritate eorum, cui

B N A R R A T I O

promittitur hereditas, id est, tuta habitatio in terra, et comoda fruitio rerum, quæ ex terra proueniunt. nam hereditatis voce intelligitur genus cum adiunctis. Quia igitur præcipuum ius rerum ex hereditate est, plenam scriptura possessionem, & præcipuum utendi ius hereditatem appellat. Possessio autem hæc non tam in κτῆσι quam in γῆσι posita est, & habet annexam duplicem conditionem seu promissionem. Vnam si posterii non degenerauerint à sanctorum parentum virtute. Alteram, si possessio hæc non habeat maius periculum, quam commodum, vnde fit, vt non pauci piorum liberi non degenerantes abripiantur ab hac vita. Nam ita Deus promittit pœnitentibus vitæ diurnitatem & comoda, modò melius bonum & perfectius non impediatur.

Si quis obijciat impiorum posteritatem etiam impiam sæpè hereditare terram: distinguo, vt suprâ inter κτῆσι & inter γῆσι. Nam tales etsi videntur possidere terram, tamen eius rerum vsum non habent, vnde sæpè fit, quò fuerint homines ditiores, eò sint etiam miseres. Vnde Esaia 3. Ecce Do-

se Dominator Iehouah exercituum auferet a
Ierusalem omne robur panis & aqua. vt Pro-
pheta hic distinguit inter panem, & robur
panis, ita inter possessionem terræ & eius ve-
rum & legitimum vsum distinguendum iu-
dico.

Secretum Domini timentibus
eum, & manifestauit illis testa-
mentum suum. Hæc quarta pars est fæli-
citatibus timentium Deum, videlicet viuus in
corde sensus mysterij & pacti Dei. Mysteri-
um seu secretum & pactum idem sunt re, sed
ratione distinguuntur. Mysterium dicitur,
quia ignotum est carni & sanguini. Ani-
malis enim homo (inquit Paulus) non per-
cipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Pactum
verò propter stipulationem, quæ inter De-
um & hominem intercessit. Hoc pulcher-
rimè ostenditur Genesis 17. vbi Dominus
ita ait: Ecce pactum meum tecum &c.
Huic promissioni respondet in Abrahamo
fides, qua ipse recumbit in factam sibi pro-
missionem. Huius fæderis ratio descri-
bitur fusius Ieremias 31. & Habre. 8.
in hunc

E N A R R A T I O

in hunc modum: Ecce dies venient, dicit Iehouah, & feriam cum domo Israel & cum domo Iuda foedus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, quia ipsi irritum fecerunt pactum meum, & ego Dominus sum eorum, dixit Iehouah: sed istud est foedus, quod feriam cum Israel, dixit Iehoua, Dabo legem meam in medio eorum, et in corde eorum describam eam (scilicet digito meo, qui est Spiritus sanctus) nec docebit vnusquisq; vltra proximum suum, et vnusquisq; fratrem suum, dicendo: cognoscite Iehoua. Omnes .n. cognoscent me a minimo illorum vsq; ad maximum eorum, quia propiciabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius. Hoc pactum Christus resuscitatus a mortuis suis discipulis in memoriam reuocat, cum inquit: Ascendo ad Deum meum & ad Deum vestrum, ad patrem meum & patrem vestrum. Summa, huc redit quod Deus velit noster pater esse remittendo nobis peccata, & acceptando nos ad vitam aeternam propter Christum mediatorem & reconciliatorem, & nos debeamus esse ipsius populus, vera fiducia illi adherendo & obediendo. Quare nequaquam participes huius foede-

PSALMI XXV.

fæderis sunt, qui vacui timore Dei viuunt prout cæcis & ferocibus abripiuntur affectibus. Hic locus postularet, vt aliquid diceretur de discrimine noui & veteris fæderis seu testamenti, verùm quia de hoc discrimine in Enchiridio nostro satis dictum est, hinc tantùm ascribam verba Clementis Stromatheon 8. Vt vetus illud testamentum, inquit, diuina Iesu opera futura præcinerit, ita nouum facta prædicauerit, vt illud veritatem in imaginibus texerit, ita hoc præsentem ostenderit illius prædictionum veritatem, huius effectus aperit & credi facit.

DE TIMORE DEI.

Christus mittens suos discipulos ad oues perditas domus Israel, inter alia præcepta etiam hoc dedit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam verò non possunt occidere. Sed potius timete eum, qui potest & corpus & animam perdere in gehenna. Hic Christus duo genera timoris facit, vnum quidem quo homines metuimus, alterum verò quo Deum timemus.

Timor quo homines metuimus est duplex, videlicet, rectus & peruersus. Rectus
natu-

S N A R R A T I O.

naturalis & præceptus adeoq; bonus & laudabilis est, cum serui dominos suos, & liberi parentes suos cum reuerentia timent. Peruersus hominum timor est, de quo hic Christus loquitur, qui nos à recta via abducit, quiq; facit ut metu mali, quod videtur impendere cælestia terrenis, salutem animæ incolumitati corporis postponamus. Hoc timore fracti multi omnibus ætatibus confessionem abiecerunt.

Timoris quo Deum timemus plures sunt modi. Est enim timor seruitutis, de quo Paulus Rom. 8: Non accepistis spiritum seruitutis, rursus in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, per quem clamamus abba Pater. Hic Paulus quendam timorem seruitutis facit, cuius quidem author est Spiritus sanctus, quem Spiritum dicimus accipere, cum in animis nostris est efficax. Is igitur quia prædicatione Legis salutem quidem proponit, sed addita durissima & planè impossibili conditione nihil nisi timorē poenæ in animis potest ciere, ut quasi serui iram domini magna cum anxietate & pauca conscientia homines expectent. Hic ergò timor est sine fide, & rectissimè seruilis dicitur, qui
nihil

PSALMI XXV.

nihil aliud est, quàm metus cruciatus propter peccata commissa. De hoc timoris genere loquitur Syracides cap. 36: Timorem tuum immitte omnibus gentibus quæ te non requirunt. Hic timor aut perducit & impellit homines ad pœnitentiam, qua ratione rectè initium sapientiæ dicitur, aut ad desperationem adigit, & odium Dei parit, videlicet cum conscientia victa mole peccati succumbit, quare nihil sanè tristius. David timore pœnæ adducitur ad pœnitentiam, sed Saul ad desperationem. Petrus metu pœnæ ob negatum Christum plorat & impellitur ad implorandam veniam. Sed Iudas desperans de veniæ se suspendit. Magdalena timore pœnæ ducitur ad Christum, sed multi, vt Cain, Iudas, Iulianus &c. metu iudicij desperatione perierunt. Est pròinde hic timor seruilis, qui & culpæ rectè dicitur, primus gradus ad vitam, modò eo vt decet rectè vtamur. Huc pertinet illud Prouerb. 14: Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.

Est & timor filialis, qui est eiusdem Spiritus effectus in conuersis. Hic autem timor filialis est purus colendi De-

um.

colendi Deum affectus cum humili subiectione, reuerentia & amore, cumq; serio studio omnem offensam Dei vitandi coniunctus, Iosue 24. Timete Deum & seruite ei perfecto corde atq; verissimo. hic posterius membrum prioris est interpretatio siue definitio. Huius timoris filialis partes sunt duæ; videlicet, Timor cultus, & timor culpæ. Timor cultus est, quo Deo subiecti illum reueremur & amamus exhibentes illi ex vera fiducia debitum cultum. Timor culpæ est, quo cauemus ne Deum Patrem dulcissimum offendamus. Etsi autem seruus etiam timet ne Dominum suum offendat, tamen maximum est discrimen inter seruum timentem, & filium: Seruus enim timet Dominum suum vt crudelem cum latente odio. Filius autem patrem suum dulcissimum genitorem cum amore & reuerentia timet. nihil enim charius habet, quàm vt patri per omnia placeat. Huius timoris filialis plurima sunt præconia in sacro Dei verbo, ex quibus pauca ascribamus. Psal. 19. Timor Domini purus permanet in seculum seculi. Dicitur autem hic timor purus & à subiecto & ab effectu. nam vt in puris, id est, fide purificatis est: Ita in puritate & sanctitate fidelis retinet, ne cum impuro mundo

PSALMI XXV.

mundo se omni turpitudini prostituant. Timor enim Domini, ut Salomon ait, odit malum. Et Syracides: Timor Domini expellit peccatum. Ut igitur initium superbiae, ut loquitur Syrach cap. 10. est defectio hominis à Domino, atq; à creatore suo cordis auersio: Ita vnus timor Dei est, qui nos in obseruantia præceptorũ Dei atq; in omni sancta subiectione continere potest. Syrach. 25: Magnus est, qui adeptus est sapientiam, sed timente Dominum nemo maior est. Item, Timor Domini claritate superat omnia. Item, Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non puebit, cum ipse est spes eius. Timentis Dominum beata est anima eius. Item, facultates & virtutes exaltant cor, & super hæc timor Domini. Timori Domini nihil deest. Timor Domini sicut paradysus benedictionis. Psalmo 112. extat hominis timentis Deum hæc commendatio, quòd ab auditione mala non timebit, quia paratum cor eius fidens Domino. Confirmatum cor eius non timebit, donec videat in hostibus suis quod optat. Breuiter, ut omnis boni fons cum in hac vita, tum in futura est timor Domini: Ita omnis mali scaturigo est Deum non timere, iuxta illud Syra-

K cidæ

ENARRATIO

*Eccl. 6: Nisi quis se in timore Dei studiosè
continuerit, citò euertetur domus eius.*

LOCI HVIVS PAR-
tis Psalmi.

*Primus, quòd timentes Deum diuini-
tatis doceantur, hoc est, efficaciter per Spiri-
tum sanctum in vijs Domini erudiantur.*

*Secundus, quòd summa felicitas ho-
minis, atq; adeò hominis summum bonum situm
sit in timore Domini.*

*Tertius, quòd timentes Deum indi-
es in cœlesti sapientia proficiant.*

*Quartus, quòd timore Dei vacuè
prorsus ignari sint arcanae Dei sapientiae.*

SEXTA PARS.

15 **O**Culi mei semper ad Ieho-
uah, quia ipse educet de la-
queo pedes meos.

16 **R**espice ad me, et miserere mei,
quoniam vnicus & afflictus
sum ego.

Afflic-

17 Afflictiones cordis meae auctae sunt, ab angustijs meis educ me.

18 Vide afflictionem meam & laborem meum, & parce omnibus peccatis meis.

19 Vide inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.

20 Custodi animam meam & libera me, ne pudeam, quoniam speravi in te.

21 Integritas & aequitas conseruabunt me, quoniam expectaui te.

Iam accommodat David petitionem generalem presentibus suis periculis, in quibus versabatur persequente ipsum Saule, ac primo loco parat sibi aditum ad orandum nouo exordiolo, in quo & gestus orantis & affectus exprimitur. Deinde saepius eandem propositionem repetit, ut

K 2

magis

ENARRATIO

magis in se excitetur exaudiendi fiducia. Postea collationem instituit inter suam causam & aduersariorum.

Gestus & affectus orantis hisce verbis ostenditur: Oculi mei semper ad Iehouah, scilicet suspiciunt seu sunt erecti. Solemus enim & oculos & manus eò dirigere, vnde expectamus auxilium, atq; ideò subiicit: quia ipse educet de laqueo pedes meos. Hoc est, liberabit me è periculo, in quo sum. Directione igitur oculorum significatur intentissimus orantis affectus, qui nititur promissionis fiducia. Vt igitur promissio offert auxilium: Ita fides oblatum auxilium intuetur: vnde accenditur precantis affectus. Laqueus insidias & clancularias inimicorum machinas notat. metaphora sumpta à venantium laqueis, quibus occultè feris struunt insidias.

Respice ad me & miserere mei, quia vnicus & afflictus sum ego. Propositio precatationis & eiusdem ratio dulcissima, quæ nititur hoc principio infallibili & immoto. Deus destitutos & afflictos se ex fide inuocantes respicit, eorumq; miseretur.

Obser-

Observandum est hoc loco genus crucis, quo
 sæpissimè Deus suos solet exercere. Nam eos
 non solùm multis oppugnandos obijcit: ve-
 rumetiam amicorum & proximorum ope de-
 stitui et solatio, & simul affligi permittit, idq̃
 facit paterno planè animo, vt nos doceat, quòd
 vt extra se nihil sit nisi periculum & malum
 expectandum: ita à se omnis salus, benedi-
 ctio & auxilium dependeat. Nos igitur si
 quando in similia pericula inciderimus, imite-
 mur Dauidem, statuamusq̃, quòd Deus non
 aliter sit affectus erga nos, quàm fuit erga
 Dauidem, modo simili fiducia ad ipsum con-
 fugerimus: Nam Deus personarum acceptor
 non est, sed causas iustissimè discernit.

*Afflictiones cordis mei auctæ
 sunt, ab angustijs meis educ me.*

Hic versus querela et precatone absoluitur.
 Querela est maxima. non enim tam ob crucia-
 tus corporis gemit Dauid, quàm ob cordis an-
 gustias. Nam dum corpus foris premitur,
 animus intus perturbatur cogitatione peccati.
 Norunt enim pij crucem externam peccato-
 rum latentium esse pœnam. Quoties igitur pij
 affliguntur, veniunt in cogitationem suorum
 peccatorum, non vt mole peccatorum obruan-

K 3 tur,

ENARRATIO

tur, sed vt precibus ad Deum confugiant, quã vnus potest molestissimam et grauissimam leuare sarcinã & deponere. Quare mox sequitur precatio, ab angustijs meis educ me. Hoc est, libera me ab opprobrio & persecutione seu cruce. Hoc loco cogitemus duos modos esse, quibus filij Dei in hoc mundo exercentur, opprobrium videlicet, & cruciatus. Sapientia 2: Contumelia & opprobrium examinemus. 1. Timoth. 4. In hoc laboramus, & probris afficimur, quia speramus in Deo viuente.

Vide afflictionem meam, & laborem meum, & parce omnibus peccatis meis.

Hic apertè fatetur Dauid se suis peccatis meruisse præsentis afflictiones, quæ vt mitigentur, remissionem peccatorum petit: Nam hic est ordo rectissimus, primum omnium remissio peccatorum petenda est, hac impetrata cor mundum est effectum: Corde purificato, recto ordine petitur pænæ vel mitigatio, vel condonatio. Nam vt in corpore sanando: ita in animæ morbo primum causa mali remouenda est.

Vide

Vide inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.

Exaggerat pericula sua David ab hostium suorum multitudine & truculentia, quasi diceret, Etsi autem coram te Deus reus sum, & hanc, qua premor, crucem sum meritus, tamen inimici mei non habent iustam causam cur me persequantur. Mentiuntur me regnum tyrannicè affectare, sed tu scis, quòd mandato tuo in regem inunctus sum, propter quam causam tyrannico odio me persequuntur.

David hoc loco typum Ecclesiae gerit: ut enim ipse iniuste traducitur ab inimicis suis & odio implacabili grauatur: Ita Ecclesia Dei perpetuò in hoc mundo hostes habet, qui se persequuntur, aliàs plures, aliàs pauciores.

Sunt autem tria genera hostium Ecclesiae præter Epicureos, videlicet Sophistæ, Hypocritæ & Tyranni. Sophistæ doctrinam inuadunt, ut ea vel abolita, vel deprauata, Ecclesiae corpus paulatim collabatur. Hypocritæ ficta sanctimonia

ENARRATIO

*& superstitione insidias struunt. Tyranni
 aperta vi grassantur & sanguine Ecclesi-
 am extinguere student. Sed quid faciendum
 Ecclesiae? Primum omnium consolabitur se
 promissione Christi dicentis: Porta inferorum
 non praeualebunt aduersus eam. Deinde con-
 tra Sophistas tuebitur doctrinae puritatem, ca-
 uebitq; ne fundamentum subruatur. Hypocri-
 tis opponet dictum Christi: Frustra colunt me
 docentes doctrinam hominum. Contra Tyran-
 nos exemplo Davidis ad preces confugiet
 (magis enim prosternuntur Tyranni in mundo
 precibus quam vllis gladijs) Nam ratio ex fi-
 de facta tutissimum est asylum Christiano-
 rum contra tyrannos & hostes Ecclesiae. Ve-
 re enim à Salomone dictum est, Turris fortis-
 sima nomen Domini, ad hanc confugiet iustus
 & saluabitur.*

*Porrò tenenda est ratio rectè orandi
 aduersus inimicos. nam cum Christus iubet
 pro inimicis orare, & David plenus Spiritu
 sancto contra inimicos orat, necesse est, & di-
 scrimina inimicorum tenere, & discernere
 precandi modos. Sunt autem inimici vel cau-
 sae tantum, vel personae nostrae tantum, vel
 vtriusq; simul sunt hostes. Si sunt hostes cau-
 sae, hoc est, verae doctrinae quam profite-
 mur,
 orabi-*

orabimus Deum vt tueatur causam aduersus hostes, & eos vel conuertat si sunt emendabiles, vel euertat, si sunt obstinati & inemendabiles. Si sunt hostes personæ nostræ, aut à nobis sunt læsi, & iuxta regulam Christi petenda est venia, & iniuria illis à nobis facta compensanda est. Aut non sunt à nobis læsi, & orandum pro ijs, vt ex hostibus amici fiant, aut si id fieri non potest, petenda est diuinitus defensio aduersus eorum truculentiam. Si sunt hostes vtriusq̃, hoc est, & causæ iustæ & personæ nostræ, exemplum Christi pro regula nobis sequendum est, qui orauit pro hostibus doctrinæ, & personæ suæ emendabilibus, & contra inemendabiles vindictam petijt.

Custodi animam meam & libera me, ne confundar, quoniam speraui in te.

Hic versus congruit cum secundo, & constat Rethorico Enthymemate, quod mutato ordine hoc modo Dialecticè concluditur: Ego David spero in te Deus. ergò custodi animam meam, id est, defende vitam meam, & libera me ab aduersarijs meis, ne frustratus spe succumbam, & ipsi super me latentur & triumphent. Principium quo nititur hu-

ENARRATIO

ius Enthymematis antecedens supra exprefsum est in tertio versu hisce verbis: *Etiam omnes expectantes te non erubescunt, erubescunt prauaricantes temerè, Sed de hoc principio vide quæ supra annotauimus in tertium versum.*

Integritas & æquitas conseruabunt me, quoniam speraui in te.

*Hæc oratio plena fiducia est. Opponit enim David suam innocentiam criminationi hostium, qui illum criminabantur tanquam alienæ rei affectatorem: sed huic criminationi opponit, vt dixi, suã integritatem et æquitatem. Integritas est sinceritas, qua sibi conscius fuit David nullius doli aut fraudis. Æquitas, integritatis effectus seu fructus est. hæc enim cauet ne noceat proximo, sed vt omnia potius in ipsius cõmodum conuertat. Quòd autem hac sua innocentia sola nõ nitatur David, indicat subiecta ratio. Quoniã inquit, *Speraui in te.* Coram Deo igitur nititur David fiducia promissionis & remissionis peccatorum, & promissi regni, verùm cum hostes suos intuetur, bonitate causæ se sustentat & consolatur.*

Hoc

PSALMI XXV.

Hoc loco illustre discrimen inter consolationem Philosophicam & Christianam obseruandum est. Summa consolatio Philosophica in rebus aduersis est, cum quis sibi benè conscius patitur iniuste, quæ sanè consolatio mixta est haud rarò cogitatione iræ Dei. Quemadmodum vel in illo Ouidij apparet. Nec meriti pœnam pateris, sed numinis iram, Est aliquid magnis crimen abesse malis. Quantum enim ab aliqua parte leuatur dolor in hominibus non conuersis cum videntur iniuste pati, tantum ab altera parte augetur & crescit cogitatione irati numinis. Verùm consolatio Christiana in rebus aduersis non tantum bonitate causæ nititur, sed fiducia promissionum diuinarum: qua afflictus & statuit sibi remissum esse peccatum, & Deum non ut iudicem aut tyrannum metuit, sed ut patrem potius benignissimum & clementissimum agnoscit, vnde certam spem concipit de futura liberatione.

Pompeius fugiens Casarem partim disturbato, partim occiso exercitu suam causam iustiozem fuisse non dubitat.

8 NARRATIO

dubitat, cuius cogitatione nonnihil se fortè sustentat, verùm quia ignarus diuinarum fuit promissionum, incidit miser in cogitationem prouidentiae Dei, et tandem ratiocinatur nullam planè esse prouidentiam, ex eo, quòd Iulius in deteriori causa se iustiozem defendentem vicerit.

At David varijs obiectis periculis non solùm innocentia sua se sustentat, verum etiam idq̄ multò magis cogitatione prouidentiae Dei, quem statuit verè precantem se exauditurum, & tandem de laqueis hostium erepturum.

Si quis fortè obijcit, David fretus bonitate causæ suæ, leuius ferre crucem potuit, sed quid dicendum erit de ea cruce, quam quis sibi sua culpa accersuit? an hic afflictus sub crucis onere desperabit? Certùm quidem est, quod cum Dauide non possit dicere, integritas & æquitas conseruabunt me. Num ego cum Cain clamabit, Maior est iniquitas mea, quàm propiciatio? Num ex impatientia dicet, maledicta sit hora in qua natus sum? Nunquid cum Saule desperabit? aut cum Iuda & Achitophel se strangulabit? Absint hæ cogitationes procul ab humanis pectoribus. Sunt enim viæ quædã & aditus ad inferni

PSALMI XXV.

ferni portas, quare omnibus hominib. summo-
 pere cauendæ sunt, quantumuis vel maximi
 peccatores fuerint, quantumuis vel harenam
 maris peccatorũ eorũ multitudo excedat. Quid
 ergò hîc faciendum homini, qui sibijpsi crucem
 sua culpa miserè imposuit? Vt in difficiliore
 morbo corporis opus est præsentiori remedio:
 Ita in hac conscientia lucta cum peccato opus
 est efficaciori remedio, opus est saniori consi-
 lio, ne conscientia peccati fractus homo ruat
 cum multis in desperationem & æternum exi-
 tium. Vt autem consilio sano & remedio
 salutari sine omni errore vti afflictus possit,
 hæc nouem ordine, vt par est, cogitabit.

Primum omnium pressus cruce ob certa
 peccata nõ hypocriticè extenuabit peccatum,
 nec collatione peccati sui cum peccatis aliorũ
 se fallat, sed potius examinabit seipsum & suã
 iniquitatem lancibus non fallacibus pondera-
 bit. Cogitabit quis sit is, quem offendit, nem-
 pe Deus iustus iudex, quem nihil latere po-
 test. Cogitabit quis sit qui offendit, nempe
 homo seu potius vmbra hominis. nam si non
 est dignus, vt rectè meminit Cicero, nomine
 hominis, qui vnum totum diem velit esse in
 volu-

ENARRATIO

voluptate, quid dicemus de ijs, qui toto ferè
 vitæ tempore se in volutabro peccati inuo-
 luit? Cogitabit peccati sui enormitatem, tur-
 pitudinem, magnitudinem, multitudinem, hæc
 cum rectè æstimat peccator, qui iam aliquam
 singularem crucem impositam sibi sentit, ei
 lachrymæ erumpunt, atq; adeò totus homo in
 anima & corpore horrendis cruciatibus affi-
 citur. huius rei multas imagines offert Psal-
 morum lectio, ex quibus vnã pro multis
 adducam ex Psalmo 38. vbi David ita suos
 dolores ac pauores ob peccatum describit:
 Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, &
 manus tua premit me, non est sanitas in car-
 ne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus
 meis à facie peccatorum meorum. Quoniam
 iniquitates meæ supergressæ sunt caput me-
 um, & sicut onus graue grauata sunt su-
 per me, putruerunt & corrupta sunt vul-
 nera mea propter insipientiam meam. De-
 pressus sum & curuatus valdè, tota die con-
 tristatus ingrediebar, quoniam lumbi mei
 impleti sunt plaga, & non est sanitas in car-
 ne mea. Resolutus sum & concussus valdè,
 rugiebam à gemitu cordis mei. Item, cor
 meum sensit palpitationem, derelinquit me
 virtus

virtus mea, & lumen oculorum meorum non est mecum. Hic David in sua persona pingit affectus & cruciatus hominum, qui vera mensura sua peccata ponderant. Non enim ut Hypocritæ & securi æstimant peccata sua proprio sensu & iudicio, sed Dei potius offensi maiestate, peccati turpitudine, & pœnis peccato debitis iuxta Legis sententiam. Etsi autem huiusmodi motus rari sunt in mundanis hominibus, quales fuerunt in Dauide & Ezechia: tamen necesse est, ut qui affligitur propter peccata sua, tangatur vero dolore ob peccatum sine hypocrisi. Cauendus est hoc loco error Papistarum, qui huiusmodi dolorem conceptum propter peccata mereri veniam docet. Nam tametsi hic dolor præcedit veniæ petitionem, tamen nequaquam est causa propitiationis seu veniæ. Quare hic nemo desperare debet, si tantos dolores ac pauores non senserit in se, quanti fuerunt in multis heroicis sanctis, sed doleat quòd Deum offenderit, odio habeat peccatum, quo crucem sibi accersuit.

Secundo

S N A R R A T I O

Secundò, ne sentiens dolorem inferni ob peccati magnitudinem desperet in istis pauperibus, cogitabit promissiones Dei de gratuita peccatorum condonatione vniuersales esse. Idem enim Dominus omnium, vt ait Paulus, diues in omnes qui inuocant ipsum. Nolo mortem (ait Dominus) impij, sed vt conuertatur ac viuat. Et Christus ait: Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis, qui vidit Filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Matth. 18. Sic non est voluntas patris mei vt pereat vnus & c. 1. Timoth. 2: Deus vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. 1. Pet. 3: Deus longanimis est erga nos, non volens vllos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere. Et diuus Bernhardus ait: Prodit in lucem ad miseri consolationem, magnum consilium ab æterno in sinu æternitatis, quod nolit videlicet Deus mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur ac viuat. Nemo igitur ab hac promissione vniuersali se exclusum putet, Nam qui hoc hoc facit, nouo reatu se inuoluit, vt qui Deum mendacem in suis promissis faciat.

Tertio loco cogitabit de mandato Dei vniuersali. vt enim promissio est vniuersalis,

PSALMI XXV.

lis, ita etiam mandatum Dei (quod mandatum nobis conuersionem) omnes homines ex æquo obligat: Cum ergo audimus in Prophetis hanc vocem: *Conuertimini ad me filij hominum.* Item, *Reuertatur vnusquisq; à via sua mala,* cogitemus illam vocem ad omnes mortales pertinere, & hoc Dei mandatum omnes obligare, vel ad obedientiam vel ad pœnam contumaciæ. Proinde cum cruce pressus propter sua peccata audit hanc vocem Dei, caueat ne hoc verbum Dei contemnat. Filius Dei hoc ipsum similiter mandat omnibus & præcipue oneratis & laborantibus. Ita enim ait: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego refocillabo vos, & inuenietis requiem animabus vestris.* Venit enim, vt ipse de se testatur, vt saluet quod perierat. Nemo ergo magnitudine & turpitudine sui peccati absterreatur, quo minus Dei se vocantis mandato obtemperet.

Quarto, Ne peccati enormitas nos impediât, quo minus mandato Dei obtemperemus, cogitetur λύτρον quod pro peccatis mundi persolutum est. hoc enim λύτρον cum precij sit infiniti, fieri non potest vt peccatum alicuius sit tam enorme, vt non queat tanto precio redimi eius pœna. Cain desperans cla-

L

mat,

ENARRATIO

mat, Maior est iniquitas mea quam venia. Mentiris, ait Augustinus, ô Cam, Maior enim est Dei misericordia quam omnium peccatorum miseria.

Quinto, Cogitentur exempla maximorum peccatorum, qui sunt recepti. Quis unquam maior peccator fuit quam Adam? At hic in gratiam receptus, ut suo exemplo doceat, neminem tantum peccasse, quin recipiatur in gratiam, modò ad misericordiam confugerit. Quid non Manasses designavit? sed gratia Dei eius peccata absorpta sunt. Peccatrix apud Lucam fide est filia Dei effecta. Lathro in cruce pœnitens audit hanc dulcissimam vocem: Hodie eris mecum in Paradiso. Paulus de seipso scribit, Veniam consequutus sum, ut in me ostenderet Iesus Christus omnem longanimitatem, ut essem exemplar ijs qui credituri essent ipsi in vitam æternam. Huc et vocatio gentium pertinet.

Sexto, In cogitatione horum, id est promissionis vniuersalis, mandati vniuersalis, precij persoluti pro mundi peccatis, et exemplorum peccatorum, qui in gratiam recepti sunt, concipitur igniculus fidei operante Spiritu sancto et efficaci in verbo iuxta ordinationem Dei.

Septimo,

PSALMI XXV.

Septimo, Fide concepta petenda est peccatorum venia. in hac precatatione paulatim crescit & augetur fides, donec certa fiducia statuat peccator, peccatum sibi remissum esse.

Octavo, Venia peccati impetrata, petenda est crucis mitigatio, quæ si non auferatur prorsus, aut mitigatur vlllo modo, tamen verè fit, si patientia temperetur, sacrificium Deo gratissimum. Sic obedientia sub cruce, quam sibi Dauid adulterio & homicidio accersuit, fit sacrificium. Vnde ipse canit, Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum Deus non despicis. Ad hunc etiam modum Latronis debitum supplicium, gratum per obedientiam ex fide redditur sacrificium. Breuiter quæuis crux siue sit commerita, siue non, vbi temperatur fide & obedientia, sacrificium dicitur Deo gratissimum, etsi natura sua peccati pœna est.

Nono & vltimo, Accedat gratiarum actio cum pio proposito omnem offensam Dei in posterum cauendi. Vt enim gratiarum actio est agnitio iudicij & misericordiæ Dei punientis nos paterno animo: Ita pium propositum testimonium est Spiritus sancti de vera conuersione & fide.

ENARRATIO

LOCI HVIVS PARTIS
Psalmi.

- 1 Vera Dei invocatio tutissimum asyllum est aduersus omne genus malorum.
- 2 Proprium Dei est miserere afflictorum se invocantium.
- 3 Externa crux interni peccati poena est.
- 4 Liberatio à malis quibusuis inchoanda est à petitione remissionis peccatorum.
- 5 Ecclesia semper habet hostes, qui se implacabili persequuntur odio.
- 6 Mens sibi conscia recti, & fiducia in Deum fortissima sunt aduersus hostes praesidia.

SEPTIMA PARS.

22 **R**edime Deus Israëlem ex omnibus tribulationibus suis.

AB hypothese ad thesin transit. haec enim pro seipso, ut membro Ecclesiae oravit: nunc precatur redemptionem totius Israelis, id est, verae Ecclesiae Dei.

Sed quae est ratio huius appellationis? cur Ecclesia Israelis nomine appellatur? Nomen

nomen Israel impositum est Patriarchæ Jacob ab euentu, vt legimus Gene. 32. Cùm autem Deus non hominum more nomina hominibus imponit, sed rem ipsam simul confert, vt certò respondeat euentus, operæ precium est altius perpendere rationem huius nominis, & cur toti Ecclesiæ tribuatur.

Nominis huius Israelis impositionem præcessit grauisissima tentatio in Iacobo. timuit enim valdè ne à fratre Esau cum vxoribus & liberis tolleretur è medio propter ereptam olim benedictionem, & ius primogenituræ.

Deinde in tentatione ardentissimè precatur, ac Deum ea via aggreditur, qua sciret ipsum vinci posse, vt se inuocantem exaudiret, & è præsentibus periculis liberaret. Nam vrget promissiones Dei. ita enim ait: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac. Domine qui dixisti ad me, Reuertere ad terram tuam, & cognationem tuam, & benefaciam tibi.

Post orationem accingit se itineri, ac nocte tota luctatur cum Angelo & præualet, à quo euentu Angelus mutat nomen Iacob, dicens: Non Iacob ultra dicetur nomen tu-

ENARRATIO

um, sed Israel, quia princeps fuisti, cum Deo
& cum hominibus præualebis.

Est ergò Israel iuxta etymon victor
Dei seu princeps Dei, sic dictus, quia heri oricè
cum Deo pugnavit, & prævaluit. Præcla-
rum sanè victoriæ genus, cum homo pulvis et
cinis cum Deo luctatur, & reportat victori-
am. Iam non obscurum est videre, cur hoc no-
men Israel Ecclesiæ Dei tribuatur. Iacob ty-
pus fuit Ecclesiæ totius, & præclarum eius-
dem membrum. Vt ergò ille tentatur, orat,
luctatur cum Deo, vincit & reportat bene-
dictionem: ita Ecclesia Dei in hoc mundo
tentatur varijs modis, in tentatione orat, in
oratione luctatur, vincit & reportat benedi-
ctionem. Hoc ergò exemplum imitantur om-
nes filij promissionis, id est, veri Israelitæ, su-
perant & vincunt Deum non carnalibus ar-
mis, sed armis ab ipso Deo porrectis. Nam
spiritum fidei in ipsis excitat, per quem pro-
missionibus ipsius credunt, statuuntq; eum
tam veracem esse, ut mentiri non possit, tam
potentem esse, ut promissa præstare possit, &
tam bonum, ut certissimè velit quod paternè
promisit adimplere. Veri proinde Israelitæ
tum demum censebimur, quando fide firmi &
fortes in promissionibus diuinis acquiesci-
mus,

PSALMI XXV.

mus, & eadem fide omne genus tentationum
superamus. Quoties igitur legimus Ecclesiam
Dei Israelis nomine designari, cogitemus &
luctam in tentatione grauissimam sustinere
Ecclesiam, & modum victoriae, qui est fides
promissionis. Ita enim ait Iohannes: Hæc est
victoria quæ vincit mundum, fides vestra.

LOCI HVIVS

Partis.

1. Quòd Ecclesia in hoc mundo sit subiecta
cruci.
2. Quòd orandum sit pro Ecclesie liberati-
one.
3. Quòd Ecclesia tandem sit reportatura vi-
ctoriam.

VSVS TOTIVS

Psalmi.

Cum te præteriti turbat mens conscia facti,
Imploranda tibi est gratia larga Dei.

178

... et cadent fide omne genus tentationum
... Quoties enim legitur Ecclesiam
... fidei nomine designari, cogitur
... in tentatione grandisimum sustinere
... et modum victorie, per eam
... promissionem, si enim ait Jobannes: Hec est
... vestra que vultis mandatum, fides vestra.

LOCUS IV

Paris

1. Quod Ecclesia in hoc mundo sit liberata

2. Quod mundum sit pro Ecclesia liberatus

3. Quod Ecclesia tandem sit reportata in

PARS TERTIA

Palma

1. Quod se pariter in hoc mundo reportata

2. Quod se pariter in hoc mundo reportata

3. Quod se pariter in hoc mundo reportata

4. Quod se pariter in hoc mundo reportata

5. Quod se pariter in hoc mundo reportata

6. Quod se pariter in hoc mundo reportata

7. Quod se pariter in hoc mundo reportata

8. Quod se pariter in hoc mundo reportata

9. Quod se pariter in hoc mundo reportata

10. Quod se pariter in hoc mundo reportata

11. Quod se pariter in hoc mundo reportata

12. Quod se pariter in hoc mundo reportata





46 $\frac{17}{h, 11}$

AB 46 $\frac{17}{h, 11}$

X 2200183
Sb.

AB 46 ¹⁷ / 11





ENARRATIO
PSALMI VI
GESIMI QVIN
TI, SCRIPTA

A
NICOLAO HEMMINGIO.

PSAL. XXV.
*Vniuersæ viæ Domini misericordia et ve-
ritas custodientibus pactum eius & testimonia
eius.*



VVITTEBERGÆ IOHANN
Schuuertelius excudebat.
ANNO M. D. LXVII.

